JOEL BEN PETHUEL

PROPHETA.

COMMENTATUS EST

JOSEPHUS ANTONIUS KARLE,
PHIL. DR. ET QUONDAM IN GYMNASIO AD FONTES DANUBII PROFESSOR.

אין מקרא יוצא מידי פשוטו

LIPSIAE
J. C. HINRICHS.
MDCCCLXXVII.

Praefatio.

Hunc librum qui scripsit Josephus Antonius KARLE, quondam in Gymnasio ad fontes Danubii Professor, cum classicorum, quos vocant, scriptorum studium exercebat, tum orientalium gentium linguas, quibus praecipue tenebatur, diligentissime colebat.

Virorum doctorum testimoniis et commendationibus sublevato contigit, ut in maxima, quae Parisiis floret, bibliotheca magnas eruditionis opes per annum cumularet. Quae studia multis iisque doctissimis viris probavit.

In patriam reversus in scholis publicis iuventuti instituendae operam dabat. Subsecivis horis hunc libellum anno milesimo octingentesimo sexagesimo septimo exarandum sibi proposuit, anno milesimo octingentesimo sexagesimo nono absolvit.

Augustia spiritus vexatus a. d. Nonas Januarias anni MDCCCLXXII pulmonum inflammationi succubuit. Moriens uxorem lugentem obsecravit, ut librum, quo scribendo maxime delectatus erat, foras dandum curaret.

Lustrum iam intercesserat, cum Francisci DELITZSCHII opera et studio viduae contigit, ut voluntati defuncti obtemperaret. Huius enim viri summe venerandi intercessione et

Hermanni Rostii, bibliopolae honestissimi, liberalitate factum est, ut librum typis expressum in manibus habeas.

Auctor libelli vivus Hitzigio et Schradero, duumviris clarissimis, eum examinandum tradiderat, qui, quamvis ultimam ei limam deesse non dissimularent, tamen honorificum de eo iudicium fecerunt. Liceat nobis ipsa eorum verba prooemio nostro subtexere.

Ferdinandus Hitzigius (12. Nov. 1871) scripsit:

Das mir zur Einsicht übersandte Manuscript war mir ein erfreulicher Beweis Ihres regen wissenschaftlichen Eifers und Ihres Weiterstudirens im Berufsleben. Da mein Commentar über die kleinen Propheten Ihnen vorliegt, so wissen Sie, in wiefern meine Ansichten von den Ihrigen sich entfernen; nichts desto weniger muss ich sehr wünschen, dass Ihre Schrift gedruckt werde, zumal Sie dieselbe in erster Linie katholischen Theologen bestimmen, welche nicht wenig aus ihr lernen können. Eben desshalb lob' ich es auch, dass Sie die lateinische Sprache wählten; und Sie schreiben dieselbe fliessend und gewandt; ein paar Flecke, welche die Reinheit des Ausdrucks entstellen, können Sie leicht durch Revision beim Drucke schwinden machen. Auftrag, über noch nicht gedruckte Bücher ein Votum abzugeben, perhorrescire ich sonst grundsätzlich; und wenn ich in das Detail Ihrer Schrift nicht eingehe, so mag der Umstand, dass ich stets für mehr Arbeit weniger Zeit habe, mich entschuldigen.

Eberardi Schraderi (26. Nov. 1871) testimonium hoc est:

Der mir zur Einsicht übermachte Commentar über die Prophetie des Joel, eine Frucht mehrjähriger Studien, ist eine tüchtige Leistung. Vermag ich mich auch, wie ich bereits anderweit angedeutet, der von dem Verfasser vertretenen Ansicht über die Abfassungszeit des Buches für meine Person

nicht anzuschliessen, so anerkenne ich doch bereitwillig die Gründlichkeit seines Wissens, die Gewissenhaftigkeit der Forschung, die Sorgsamkeit der Ausführung, von welcher der Commentar Zeugniss ablegt, und ich würde es nur für einen Gewinn der Wissenschaft halten, wenn es dem Verfasser vergönnt wäre, die Arbeit zum Druck zu befördern.

Ad fontes Danubii, Idib. Sept.
MDCCCLXXVII.

G. E. Forster,
Progymnasii Director.

De Joele propheta.

Ex quo Hebraei terram Kanaaniticam expugnarunt, id consilii sequebantur, ut in rebus et politicis et sacris principatum populorum finitimorum obtinerent et ita in tranquillam et certam terrae occupatae possessionem venirent. Ut hunc finem assequerentur, Jehovam pro suopte deo habere eiusque sacra et religiones profiteri a Mose et qui eum sequebantur, iussi erant: scilicet Jehova erat — dicebatur certe — terrae Kanaaniticae possessor et dominus et hanc ei populo propriam daturus erat, qui sui numinis cultor exstitisset.

Ut Israelitae, auxiliante Jehovae brachio, terram Kanaan expugnarunt, ita desiderabant et fore aliquando exspectabant, ut eiusdem dei auxilio nationes vicinas, a quibus continuo infestabantur, devincerent; nec non quemadmodum singuli quidam inter ipsos plenâ et apertâ rerum divinarum cognitione insignes erant, ita fore sperabant, ut singuli quique Israelitae scientiam Mosi et prophetis parem adipiscerentur.

Joël magnus ille propheta exstitit, qui desideria exspectationesque, qualiacunque Israelitarum populus de hac venturi cuiusdam temporis felicitate fovebat, in animo suo primus collegit, qui ea primus formavit, primus promulgavit. Erat terrae vastatio locustis et siccitate effecta, quae vaticinii ansam praebuit. Joel sibi persuasum habebat, non solum locustarum agmen ab Jehova abactum iri, si singuli quique Jehudaei cum toto suo animo ad Jehovae religiones se convertissent et eius auxilium imploraturi in templum Hierosolymitanum convenissent, sed etiam illam aetatem protinus orituram esse, quâ Jehova suum spiritum omnibus sui numinis cultoribus superfunderet, ita ut illud, quod Moses gemiscens quondam optasse dicebatur: „utinam omnes Israelitae ad

instar prophetarum loquerentur“ (4 Mos. 11, 24—30), ad exitum veniret; insuper sperabat, „Jehovae diem“ i. e. illum diem proeliarem oriturum esse, quo Jehova non aliter atque Mars Ultor cum heroibus suis i. e. tempestate, fulmine, grandine ventis furibundis in terram descendens certo quodam loco nationes Jehudaeis infestas internecivo proelio devinceret.

Atqui Joel primus Jehudaeis et omnibus Jehovae cultoribus eam aetatem praedixit, quâ populos adiacentes et rerum politicarum potentiâ et divinarum cognitione superarent; et hanc aetatem, quam sibi videbatur videre proxime impendentem et post communem et veram ad Jehovae sacra conversionem e vestigio ingruentem tertio et quarto vaticinii capitibus descripsit et quidem insigni phantasmatum et verborum dignitate descripsit.

Ab hac Joelis exspectatione temporis decursu sententia de illa, quam Messianam vocant, aetate enata est; prophetae posteriores, quotquot in describenda aetate Messiana versantur, ab Joelis vaticinio pendent. Haec eadem doctrina, qualem prophetae effinxerant, ex Mosaica religione in christianam immigravit, ita tamen, ut sensu ethico acciperetur et de futuro illo universi generis humani iudicio intelligeretur. Totum eschatologiae christianae systema in Joelis vaticinio ut suo fundamento positum est. Conferantur v. g. nonnisi haec:

I. מִשְׁפָּט populorum hostilium devictio et perditio per Jehovam facienda.	I. Futurum illud generis humani iudicium, quod a Christo exercebitur.
II. יום־יהוה dies ille Jehovae proeliaris.	II. *Ἡμέρα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριϛοῦ* 1 Cor. 1, 8. 5, 5. 2 Cor. 1, 14 etc. *Ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη τῆς ὀργῆς* Apoc. 6, 17. *Ὁ πόλεμος τῆς ἡμέρας ἐκείνης τῆς μεγάλης τοῦ Θεοῦ τοῦ παντοκράτορος* (יוֹם אֵל שַׁדַּי) Apoc. 16, 14.
III. Jehovae descensus in terram cum heroibus suis IV, 11.	III. *Παρουσία Χριϛοῦ σὺν αὐτοῦ ἀγγέλοις* v. c. Matth. 24, 30. 31. 2 Thess. 1, 7.

IV. Prodigia Jehovae diem praenuncia.	IV. Prodigia, quae Χριςοῦ παρουσίαν antecedunt. Matth. 24, 29. Apoc. 6, 12 etc.
V. α) Messis, falx, torcular, cupa uvarum calcatura IV, 13.	V. α) Ὁ θερισμὸς τῆς γῆς. δρέπανον Apoc. 14, 15. 16. 17. ὁ θερισμός = συντέλεια τοῦ αἰῶνος. οἱ θεριςαί = οἱ ἄγγελοι. Matth. 13, 39. ἡ ληνὸς τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ Apoc. 14, 19 ἐτρύγησε τὴν ἄμπελον τῆς γῆς. ἐπατήθη ἡ ληνός 20. et 19, 15.
β) שִׁלְחוּ מַגָּל IV, 13.	β) Πέμψον τὸ δρέπανον Apoc. 14, 15.
VI. Fons fecundus ex templo prorumpens IV, 18. Ezech. 47, 1—12.	VI. Ποταμὸς ὕδατος ζωῆς.... ἐκπορευόμενος ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου. Apoc. 22, 1—3.

Ab ipsissimo Joele, non item ab alio propheta Joannem Apocalypticum profectum esse copiosa illa de locustis terram vastaturis narratio, quam suae iudicii novissimi picturae Apoc. 9, 3—13 intexuit et locus 14, 15 etc. et 19, 15. indicio esse possunt.

Spiritus divini fusio, quam Israelitis propheta pollicitus erat, non his quidem, at duodecim Apostolis obtigit (act. Apost. 2, 1—22).

Atqui primus auctor omnis terroris pariter atque laetae spei, quibus Christiani futurum illud generis humani iudicium exspectantes vel hodiedum perfunduntur, Joel propheta habendus est, Joel dico, qui tribus ferme — ut videbimus — abhinc annorum millibus in vita fuit. Ceteroquin nihil certi, praeterquam quod Pethuelis hominis ignoti filius fuit, de eo memoriae proditum est. Quae ad eius originem, vitam, obitum attinent, omnia tristi oblivione sepulta sunt.

De Joelis aetate.

In XII prophetarum minn. ordine, quem Canon hebraeus exhibet, Joel secundum obtinet locum: post Hoseam legitur

ante Amosum; quoniam Canonis auctores rationem chronologicam respexerunt, in vetustissimorum prophetarum numero, Joelem elucet, ab iis habitum esse. Hoseae iam eo nomine postpositus est, quod inscriptio aetatem omnino nullam profitetur. Canon versionis LXX interpp. eum Mikhae, qui Hizqiae aequalis erat, postpositum habet, forsitan eo, ut Hitzigius acriter monet, nomine, quod regni decemtribuarii mentionem non fecit.

Etiam antiquitate christiana vetustissimis prophetis Joel accenseri solebat cf. Cyrill. al. comment. in Joel. praef. *προφητεύει μὲν ὁ θεσπέσιος Ἰωὴλ ἐν χρόνοις, ὡς ἔοικε, καθ' οὓς ἂν νοοῖντο καὶ οἱ περὶ αὐτοῦ τεταγμένοι, τὸν Ὡσηὲ δέ φημι, καὶ μέν τοι καὶ τὸν Ἀμώς· δοκεῖ γὰρ Ἑβραίοις οὐ μετά γε τὸν Μιχαίαν, ἀλλ' ἐκείνοις αὐτὸν συντετάχθαι δεῖν.* item Hieronymus, quamquam qui parum recte ita iudicat: „in quibus (sc. prophetis) tempus non profertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus et hi, qui ante eos habent titulos, prophetarunt.“ Prol. in XII proph. min. Quum vero interpretes in tali temporis definitione parum descripta acquiescere sensim sprevissent nec non novam, qua eius aetatem odorarentur, viam instititissent, alteri ab alteris adeo aberrabant, ut temporis spatium ab Uzzia rege ad Maccabaeos usque termini, intra quos Joelis aetatem statuerant, ultimi exsisterent. Alii commentatores de quavis spe quicquam certi de Joelis aetate statui posse, adeo deiecti erant, ut omni disquisitione supersederent hunc in modum sese consolantes: „si necessarium adeo fuisset, atque utile ad instructionem nostram utique spiritus sanctus dixisset“ Pocock. p. 14. Crednerus primus fuit, qui in aetate Joelis investiganda viam unice veram ingressus certi quid hac de re statuit; illum posteriores interpretes omnes ad novissima tempora secuti sunt.

In numero populorum, quos Joel genti jehudaicae infestos commemorat, hi quator recensentur: 1) Phoenices [Tyrii Sidoniique]. 2) Philistaei. 3) Aegyptii. 4) Edomitae. Memoriae proditum est 2 Reg. 12, 18 sqq. 2 Chron. 24, 23 sqq. Joâsho rege jehudaico 876—836 Chazâelem Syriae regem contra Hierosolyma profectum gravia tributa exegisse. Quoniam apud Joelem Syrii non commemorantur, colligendum est, eius vaticinium ante Chazâelis invasionem i. e. ante annum 840

conscriptum esse: heic stat terminus, ad quem. Quod ad Aegyptios attinet, eos interque Israelitarum populum Salomonis aetate mutua amicitiae ratio intercedebat et quidem ita, ut Pharao [1]) Salomoni filiam nuptum daret 1 Reg. 3, 1. 9, 16. 10, 28. 29. etc. Ex quo autem cum Sesonche [Shishaqo] [2]) nova principum familia Pharaonum solium ascendit, illud amicitiae et societatis vinculum dissolvebatur; id vero inde collegeris, quod Jeroboamus Salomonis adversarius in Aegyptum fugerat seque Pharaoni in fidem et clientelam commendaverat. Rehabeamo rege, Sesonchis cum innumero exercituum numero contra Hierosolyma profectus est, urbem expugnavit, templum thesauris exspoliavit 1 Reg. 14, 25 sqq. 2 Chron. 12, 2 sqq. Haec autem Sesonchis invasio et direptio anno 975 facta est [3]); non potest esse, ut vaticinium ante hunc annum cadat: heic stat terminus, a quo. Quocirca vaticinii scriptio intra temporis spatium cadit, quod ab anno 975 ad annum 840 extenditur; in definienda Joelis aetate definitio ultra eos, quos posuimus, terminos nunquam evagari debuit.

Utrum intra temporis spatium hisce terminis septum prophetae aetas arctiori etiam ratione chronologica definiri queat, dehinc periclitandum est. Edomitae a Davide victi erant; eorum fines Israelitarum dicioni adiuncti praesidio occupabantur 2 Sam. 8, 2. 14. 1 Reg. 11, 15. 16. 1 Chr. 18, 13. Nunciato, Davidem mortuum esse, fugitivus regis edomitici filius, qui Joabi gladium subterfugiens in Aegyptum se abdiderat, revertitur, multitudinem armat, seditionem movet,

---

1) Ille Pharao est, qui a Maneth. Psusennés appellatur; δυναςείας Taniticae (XXI[mae]) ultimus rex, cuius regnum annorum 35 fuit.

2) Sesonchis [Shishaqus, Shûshaqus] (1 Reg. 14, 25.) Σουσακίμ LXX, Psusennem secutus ultimis regni Salomonis annis Aegypti rex commemoratur 1 Reg. 11, 40. Bubastin urbem regni sedem sibi delegit et annos viginti unum [in monumentis annos XXII legerunt] regnum tenebat.

3) Sesonchis 350 annis post Ramsesum regem primus erat, qui invasionem in Syriam repetiit; praeter Jehudaeam, regni decemtribuarii dicionem aliarumque gentium fines vastavit vastatosque diripuit. Cum ingenti praeda redux factus res feliciter gestas, reges populosque devictos in exteriori templi Carnacei parte figuris sculpendos curavit; inter quas figuras una „Judaha-Malek“ inscripta reperitur; duae aliae, quae „Baithora“ [Bethhoron] et „Magdo“ [Megiddo] inscriptae sunt, regnum Israelit. depingunt. Champoll. lettres p. 99.

quam Salomo a Psusenne Pharaone adiutus facili negotio opprimit; Josaphat rex 920—890 ius summi imperii in Edomitas exercet. Jorâmo Josaphati filio regnante 890—882 Edomitae, seditione facta, ab Jehudaeorum regno defecerunt sibique regem constituerunt 2 Reg. 8, 20. 2 Chr. 21, 8. Ab hoc tempore Edomitae ad Amaziae aetatem 840 liberi et suae potestatis erant.

Philistaei dicionis terminos prolaturi in Hebraeorum fines antiquitus incursiones susceperunt. Saûl et Davîd reges ita fortiter restiterant, ut satis diu ab iis cessarent. Josaphato regi Philistaeos tributum pensitasse, 2 Chr. 17, 11 traditur. Memoriae proditum est (2 Chr. 21, 16. 17) Jorâmo Jehudaeorum rege 890—882 Philistaeos Arabesque ab Jehova incensos esse, ita ut incursionem in Hierosolyma facerent, palatium regium spoliarent et regis mulieres atque filios captivos abducerent. Haec Philistaeorum Arabumque invasio est, quam Crednerus ab Joele dici autumat; quam Credneri opinionem interpretes recentiores plerumque adoptant. Sed ut pleno iure concedamus, libris chronicis hac certe in re — regum libri illius invasionis mentionem non faciunt — historicam fidem omnino habendam esse (cf. Mov. die Chron. etc. p. 123), perquam mirum videtur, quod propheta unorum Philistaeorum mentionem fecerit, at Arabes ne verbulo quidem tangat. Hoc silentio nonnihil difficultatis opinioni suae creari, Crednerum ipsum ita parum latebat, ut peculiarem adicere notationem necesse haberet, qua, Edom vocem, nobis exponeret, ampliore suo significatu etiam stirpes arabicas ad meridiem sitas posse denotare. Sed — et hoc posito — utique mirum videtur, quod Edomitae iuxta Aegyptios non Philistaeos positi leguntur. Etiam accedit, quod in arabica invasione non templum, sed regis palatium direptum esse traditur. Denique vult etiam atque etiam observari, arabicam invasionem a Levitis, sacerdotibus, prophetis pro calamitate ab Jehova missa habitam esse, quam Jorâmi impietas et malefacta Jehudaeorum populo effecissent (cf. vss. 12, 16 — fin.). Hae omnes res sunt, quae parvi quidem momenti videantur, sed quae, si recte intellectae et ab ea, qua velint et debeant, parte illustratae fuerint, prorsus prohibent, quominus, invasionem arabicam ab Joele respici, cum Crednero aliisque statuamus.

Quod ad Phoenices attinet, eos illa [sc. invasionis arabicae] tempestate Jehudaeis admodum infestos fuisse, vero simile non est, quum Jorâmus ʿAthaliam filiam Achabi regni decemtribuarii regis et Izebelae, quae regis sidonii filia erat, coniugem sibi adiunxisset 1 Reg. 16, 31 et 2 Reg. 8, 18 [1]).

Hitzigius ex ea, qua IV, 2. vallis quaedam „Josaphat“ appelletur, ratione colligit, Joelis vaticinium post rem miraculosam, quae 2 Chr. 20 legitur, i. e. post annum 914, forsitan post annum 889 conscriptum esse. In hac quidem re, ut cum ingenioso illo interprete faciam, omnino non possum ab me impetrare. Quamquam plane concedo, eam vallem, quae 2 Chr. 20, 26. עמק ברכה appellatur, posteriori tempore ab Josaphato rege nomen ʾHemeq Josaphat ducere potuisse, hanc tamen vallem et eam, quae ab Joele עמק יהושפט nominatur, eandem esse, negaverim et quidem hac de causa, quod ea vallis, quae ab Joele Jeho-Schaphat vocatur, suum sibi nomen nón a regis vel alius hominis nomine ducere debeat, sed inde ductura sit, quod in ea Jehova contra hostes proeliatus fuerit. Quamquam nomina utriusque vallis eadem sunt, tamen causa et origo, unde suum utraque vallis nomen duxit, plane diversa est. Illa vallis nomen Josaphati iamiam habet, ea, quam Joel dicit, habitura erit. Illa vallis ab Hierosolymis remota est, vallis, quam Joel dicit, est suburbana. Joelis significationes: ע׳ יהושפט et ע׳ החרוץ sunt nomina symbolica. Pleniore jure statuerit quis, illam miraculosam, quae ab Jehova facta esse 2 Chr. 20 narratur, hostium perditionem ad Joelis cap. IV. compositam et ornatam esse. Vaticinii scriptionem post Jorâmi Jehudaeorum regis aetatem (890—882) factam esse, Hitzigius ex IV, 19. colligit, quippe quem versum de sanguine Jehudaeo, quem Edomitae in sua ipsorum [Edomitarum] terra profudissent, intellectum voluerit. Sed nobis omnino persuasum est, in illo versu vocabuli בארצם pronomen ad Jehudaeorum terram referri et relativum אשר de Aegyptiis atque Edomitis intelligendum esse. Omnes argumentationes, quibus nisi fultique commentatores prophetam ostendunt post Jorami aetatem scripsisse, non eae sunt, quae a mea me sententia seducere potuerint, ex qua Joel non ita multo post

---

1) Athalia cf. 2 Reg. 8, 26 (בת־עמרי) cum vss. 18. 27.

invasionem aegyptiacam hoc vaticinium composuit. Ex tota capitis IV indole atque compositione elucere videtur, nullam aliam invasionem quam aegyptiacam et quae inter eam Jehudaeis illatae sunt, iniurias Joelis animo obversatas esse. Illa invasio aegyptiaca adeo res primaria est, ut ea, quae de reliquis hostibus commemorantur, non nisi πάρεργα, res secundariae esse videantur. Illud וגם IV, 4. quo versu oratio ad Phoenices et Philistaeos se convertit, innuere tamquam videtur, in versibus antecedentibus orationem ad aliud hostium genus pertinuisse. Invasionis aegyptiacae memoria adeo recens erat, ut propheta peculiarem eius mentionem inserere non opus haberet; propter scelera inter eam patrata prophetae animus adeo agitatus et exacerbatus erat, ut eorum auctores nollet tantum non posset propriis ipsorum nominibus appellare. Qui mortalia pectora habet cognita, quam psychologice, persentiscet, calamitatis tunc praesentis auctorum nomina reticeantur: extremo demum capite, quo propheta eos auctores detestatur iisque summum malum imprecatur, Aegyptii atque Edomitae nominatim appellantur; hi nempe erant, qui invasere, qui templi argentum aurumque abstulerunt, qui captos Jehudaeos Phoenicibus Philistaeisque vilissimo pretio vendiderunt.

Ex rationibus eius temporis, quod ab invasione aegyptiaca proxime aberat, multis capitis IV rebus, quae de alio tempore intellectae obscuritate laborant, lumen affunditur. Iam quaeritur, quot fere annis post illam invasionem Joel scripserit? Ex capitis IV v. 7. intelligitur, Joelem fore sperare, ut Jehudaei in servitutem abducti in patriam revertantur; hinc vero sequitur, ab illa invasione (i. e. ab anno 975/6) ad Joelis tempus nondum aetatem hominis [i. e. 25—30 annos] praeterfluxisse. Idcirco ad annos 950—945 deducti sumus. Alia etiam ratiocinandi via relinquitur, qua ad eosdem fere annos deducimur.

Post invasionem aegyptiacam Rehabeamus 13 vel 12 annos usque ad annum 963 regnavit; hic et Abijâm [Abija 2 Chr.] rex, qui imperium tres annos tenebat, — utpote qui ab Jehovae cultu et religionibus alieni essent, — prophetis et sacerdotibus parum favebant. A Salomonis tempore Asa primus rex fuit, qui toto animo ad Jehovae religiones sacraque se convertebat eumque omni studio colebat. Ex quo Asa ad

regnum pervenit, dies spei laetae plenus prophetis et sacerdotibus illucescebat. Asa rex erat, quo regnante (960—920) Joel vaticinium composuit (quo de rege cf. 1 Reg. 15, 9—24. 2 Chr. 14). Ille rex aliorum deorum, quibus patres ipsius dediti erant, cultum abolevit, destruxit eorum sacella, fregit eorum columnas simulacraque; nec non, ut omnes Jehudaei, edixit, unum Jehovam colerent. Astarte deae simulacrum, quod Mákha, regis mater sibi privatim fecerat, discussit discussumque in Qidron valle conflagravit, in ea ipsa valle, quam sacro quodam fonte irrigatum iri et quavis fertilitate gavisuram esse, Joel (IV, 18) vaticinatur (cf. 1 Reg. 15, 13. 2 Chr. 15, 16). Etiam urbes condidit conditasque moenibus atque turribus munivit, multos alebat exercitus, parabat variae armaturae milites: hastatos, peltatos, sagittarios; omnino nihil eorum neglexit, quae ad bella et defendenda et inferenda ex usu esse videbantur (cf. 2 Chr. 14, 6 sqq.). Quae susceperat, fausto successu gaudebant; cui religioso regi coelestem favere gratiam, sole ipso clarius erat; quapropter templum auro et argento donavit, totam Jehudaeam ad solennia et festos dies in templum convocavit (1 Reg. 15, 15. 2 Chr. 15, 9 etc.). Quibus solennibus praeter Jehudaeos extranei etiam interfuisse dicuntur; multi, qui regno decemtribuario subiecti erant, ad Asam propter nimium, quo gaudebat, favorem numinis defecerunt. Tales talibusque non absimiles eius temporis rationes esse debebant, quo prophetae animus ad eam, quam c. IV. ad eventum venire videbat, exspectationem evehi potuerat. Cap. II, 17. Joel, ut „inter vestibulum et altare“ lacriment precesque fundant, sacerdotes admonet. Haec peculiaris monitio quo spectare velit, commentatores latebat. Suam lucem a loco 2 Chr. 15, 8 recipit, ubi memoriae proditum est, Asam regem verbis ʿOdedi prophetae commotum illud Jehovae altare, quod ante vestibulum stetisset, redintegrasse יְיָ אשר לפני אולם יְיָ
את־מזבח. Asae aetate vaticinium conscriptum esse, haec ipsa res quam maxime innuere videatur. Anno regni quinto decimo (945) grave bellum exstitit (2 Chr. 14, 8); ea tempestate contra Jehudaeos instructa acie Zérach Kuschita [Osorchôni [1]] profectus est; quem contra hostem arma ferens Asa ad

1) Cf. Rosellin. monumenti storici T. 1. P. 2. p. 86 sqq.

Mârêsha obviam procedit, quo loco, manibus collatis, Jehudaeorum rex in valle, quae גֵּיא צְפָתָה vocatur, exercitus hostiles „auxiliante Jehova“ devicit et opimam praedam domum reduxit. Quae splendida victoria, auxiliante Jehovae ipsius brachio, parta sane poterat Jehudaeorum pugnandi cupiditatem incendere, poterat prophetarum animos hac laeta spe lactare, fore, ut cuncti populi Jehudaeis horumque deo infesti ab Jehova ultore similem in modum perderentur; haud scio an inde, quod Joel vallem, in qua internecivum illud proelium et horrida populorum strages fieri debeat, vallem Jeho-Schaphat appellat, coniecturam capere liceat, prophetam — utpote qui facetus sermonis artifex esset nec non vocabulorum ludo perquam oblectaretur — verborum צפת et שפט consonantiâ ludentem vallis צפתה (2 Chr. 14, 9) nomini allusurum fuisse.

Felix illud tempus, quo prophetarum animi ad quamlibet spem laetam compositi esse poterant, occidere incipiebat, ex quo Baʿsha rex decemtribuarius 956/7—932, incursione in Jehudaeorum fines facta, totam civitatem in extremum periculum adduxit [1]). Ea tempestate Asa pecuniis, quae in templo repositae erant, foedus et auxilium a Benhadado rege damasceno sibi emercari coactus est. Ut igitur vaticinii scriptionem post proelium ad Mârêsha cadere intelleximus, ita eam ante triste illud tempus cadentem videmus; inde vero, quod propheta fore sperat, ut Jehudaei inter invasionem aegyptiacam (976/5) capti reduces fiant, sequitur, vaticinium ad annos 945—935 scriptum esse: quos intra annos siccitas et locustarum agmen ingruerit, necesse est. Cui vetustiori auctoris aetati vocabula *ἅπαξ λεγόμενα*, quae in vaticinio satis multa reperiuntur, plane conveniunt: cf. 1, 7. קצפה. 8. אלי = ejula. 17. עבש. ממגרה. פרדות. מגרפה. II, 20. צחנה. IV, 11. עוש. 14. חרוץ eum dico significatum, qui apud Joelem obvius est.

---

1) Haec incursio quo anno facta sit, certis rationibus definiri nequit, quum tempora, quae in libris hebr. indicantur, sibi repugnent; etenim Baʿsha, qui regnum ab anno 956—932 tenebat, incursionem anno Asae regnantis tricesime sexto i. e. anno 924/3 suscepisse 2 Chr. 16, 1 dicitur; in hebraica temporum descriptione vitium 5—7 annorum latitat.

Quid consilii propheta secutus sit.

Ad interpretationem versuum singulorum commentatores omnem suam operam contulerunt; non item sibi curae habebant, investigare, quo sensu summa vaticinii intelligi deberet. Hinc vero factum est, ut singulos quidem versus satis bene intellectos haberent, ut indicare possent, quot qualesque essent vaticinii partes, at omnino ignorarent, quonam cogitationis vinculo singulae partes et inter se et cum vaticinii summa cohaererent. Ut intelligerent, quid qualeque id esset, in quo omnia tamquam in cardine versarentur, tantum abfuit, ut haud pauci vaticinium simplex atque unum esse, prorsus negarent et vel statuerent, partem eius aliam alio tempore conscriptam esse. Crednerus e. g. sibi aliisque persuadebat, priorem partem (capp. I—III.) nihil aliud esse quam descriptionem poeticam locustarum, quae in Jehudaeam irruerint, terram vastaverint, et quae deinde abactae et misere perditae sint; altera autem parte (capp. III. IV.) prophetam ostendisse, etiam populos Jehudaeis infestos pariter atque locustas ab Jehova perditum iri. Ewaldus aliique autumarunt prophetam nihil nisi id spectavisse, ut Jehudaeos locustarum abigendarum causa ad preces et ieiunia in templo instituenda Hierosolyma convocaret. Sed haec quidem hactenus.

Invasio illa aegyptiaca, templi direptio, scelera in eo ipso, quo Jehovae numen praesens credebatur, loco commissa, captivitas, in quam Jehudaei insontes abducti erant, haec omnia non potuerunt non admodum labefactare fidem et confidentiam, quam in potestate et benevolentia Jehovae collocaverant; et profecto ab hoc tempore usque ad Asam regem maior populi pars una cum regibus ad alios deos conversa erat; Asa primus rex erat, qui, cultu aliorum deorum abolito, Jehovae religiones sacraque reduxit. Initio Asae regnantis, qui Jehovae brachio evidenter adiutus splendidas de hoste victorias reportabat, Jehovae religiones nova incrementa capiebant, quum nova calamitas ingruit, quae magnum eius cultui et sacris periculum adducebat: agmen locustarum, quae omnia devastabant, in terram invasit nec non magna etiam siccitas exorta est, ita ut homines pariter atque pecudes extrema penuria premerentur. Iterum Jehudaei sibi persuadebant, Jehovam a suis

cultoribus calamitatem averruncare aut non posse aut non velle. Ea tempestate sacerdotibus et prophetis quam maxime extimescendum erat, ne totius populi defectio ad deos alienos fieret. Haec erat temporum atque rerum conditio, unde vaticinii origo intelligitur.

Atqui eo temporis articulo, quo Jehudaei ab Jehova aut defecturi erant aut ex parte iam defecerant, eo inquam articulo Joel propheta exstitit id consilii secuturus, ut oratione sua totius populi defectionem praepediret eosque, qui iam defecerant, ad Jehovam revocaret. Jehudaeos talem defectionem ea tempestate reapse molitos esse, inde quoque colligendum videatur, quod propheta iis Jehovae diem (1, 15.) minitabatur.

Qui cognitum habuerit, prophetam id consilii secutum esse, is etiam intelliget, vaticinium unum et simplex esse nec non singulas eius partes et inter se et cum vaticinii summa cohaerere.

Ut propheta suum consilium assequeretur, necesse habebat, Jehudaeis persuadere, Jehovam unum esse Israelitarum deum et Hierosolymis et in Ssijôn monte habitare; ubi primum id persuasit, sperare poterat, eos ab uno Jehova auxilium et salutem petituros esse. Hac in re propheta ab ipsa terrae vastatione, quae causa erat, cur de Jehovae aut potestate aut benevolentia dubitarent, proficiscitur iisque ostendere studet, calamitatem tunc praesentem non forte fortuna ingruisse, sed divinitus missam et quidem missam esse ab ipso Jehova. Ut hoc ostenderet, duplicem viam instititit: α) locustarum agmen divinitus missum esse, iam inde intelligendum ait, quod valeat talem tantamque vastationem efficere, qualis quantaque nec unquam fuerit nec in posterum futura sit. Quod propheta ex immodico et nimis magno vastationis genere colligit, aliquem deum eius effectorem esse, ea concludendi ratione utitur, quae populis antiquitatis propria et usitata erat: quodcunque praeter cognitum atque consuetum naturae ordinem accidit, divinitus accidisse credebatur. Cf. 2 Mos. 8, 15. quo loco ἱερογραμματεῖς aegyptii in simili re „digitum deorum“ (אצבע אלהים) agnoscebant; β) locustas divino iussu adventasse, etiam hinc intelligi posse, quod earum agmen exercitui militari simillimum sit; hac in re propheta admodum scite facit: nimis magna et perniciosa locustarum agmina ab aliquo deo eum ad finem

missa esse credebantur, ut propter hoc illud delictum hominibus calamitatem inferrent; cogitabatur enim Jehova tamquam alter Mars Ultor, qui ad vincendos impios cum exercitibus suis ad terram descenderet; inde autem opinio nata est, illa nimis magna et perniciosa locustarum agmina, quae Orientem vexare solebant, coelestes esse tamquam exercitus. Ab hac opinione poetica profectus propheta locustarum agmen exercitui militari unoquoque respectu simillimum depinxit; etenim suo iure sperare poterat sese eo facilius Jehudaeis locustas divinitus missas esse persuasurum, quo pleniorem elegantioremque utriusque agminis similitudinem fecerit. Hinc quis debeat causam repetere, cur propheta omnem suam curam artemque ad locustarum agmen cum militibus comparandum contulerit et cur hanc comparationem ita perfectam et suis numeris absolutam reddiderit, ut interpretes seculorum multorum nollent credere, de locustis sed de hostium exercitibus sermonem esse. Apparet etiam, quam parum prophetae mentem recentiores interpretes perspexerint, qui illam descriptionem pro mera pictura poetica habent et nonnisi pigmentorum varietatem et nitorem admirantur.

Inde autem, quod locustarum agmen „coelestis exercitus“ sit, ab Jehova contra Jehudaeos missus, propheta colligit, his Jehudaeis instantem esse Jehovae diem i. e. eum proeliarem diem, quo Jehova eos perditurus ad terram descendat. Posteaquam igitur illam calamitatem divinitus effectam, locustarum agmen Jehovae exercitum esse, ipsum Jehovae diem proxime abesse, Jehudaeis persuasit, non poterant non intelligere, ipsorum salutem ab uno Jehova petendam esse. Haec est admirabilis argumentandi ratio, cuius ope propheta Jehudaeos tamquam ad intelligendum coegit, ipsorum salutem in uno Jehova positam esse. Ubi Jehovae benigni et misericordis dei mentionem fecit, populares etiam atque etiam adhortabatur, ut toto animo, sincero dolore, serio virtutis studio ad Jehovam redirent, ut in templo hierosolymitano una cum sacerdotibus eius gratiam implorarent. Quo magis efficeret, ut ab uno Jehova auxilium et sperarent et peterent, illam picturam adiecit, qua ipsum interitum atque perditionem locustarum ab Jehova faciendam tam vividis coloribus iamiam factam depinxit, ut unus alterque interpres ad opinionem prolaberetur,

hanc vaticinii partem abacto locustarum agmine compositam esse.

Haec est via, quam propheta ad assequendum consilium in priori vaticinii parte ingressus est. Etiam altera pars (capp. III. IV) eidem consilio inservit; etenim ut ne Jehudaei inter tristissima illa tempora ab Jehova desciscerent, sed ut contra quam maxime ad eum se converterent, nihil magis hos commovere potuit, quam prophetae vaticinatio in summa calamitate edita: una cum eo tempore, quo sese cuncti et toto animo ad Jehovam convertissent, felicissimam aetatem orituram esse, qua omnes ipsorum exspectationes et desideria ad exitum venirent.

Unumquemque Israelitarum scientiam prophetis parem (cf. 4 Mos. 11, 24—30) spiritus divini fusione adepturum esse cap. III vaticinatur. Ultimo capite formidolosam picturam illius diei proeliaris depinxit, quo Jehova cum heroibus suis tamquam *Ζεὺς καταιβάτης* populos Jehudaeis infestos perditurus ad terram descendit. Annunciat, hostium fines in loca deserta immutatum iri, Jehudaeorum autem terram quavis ubertate gavisuram esse et vel fore, ut regiones steriles a fonte quodam ex templo Jehovae prorumpente fertilitatem recipiant; Jehovam vero huius felicitatis omnigenae auctorem medios inter Jehudaeos per seculorum aeternitatem habitaturum esse.

Versio vaticinii.

Cap. I. 1. Verbum Jehovae, quod pervenit ad Joelem, filium Pethuelis.

2. Audite haeccine, senes et auscultate omnes terrae incolae! utrum haec facta sunt vestris diebus, an diebus patrum vestrorum?

3. Super his rebus filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis et eorum filii progeniei sequenti.

4. Quae relicua fecit Gazam, vorat Arbeh, quae relicua fecit Arbeh, vorat Jéleq et quae relicua fecit Jéleq, vorat Chasîl.

5. Expergiscimini ebrii! et lacrimate et eiulate de musto omnes potores vini, quod ori vestro praereptum est.

6. Nam populus ascendit in patriam meam, validus et

absque numero; dentes eius leonis dentes et leaenae [dentes] maxillares sunt illi.

7. Vitem meam reddidit vastatam, ficum meam infregit, infractam penitus decorticavit et humum proiecit; albent ejus palmites.

8. Lamentare oh terra! ut virgo recens nupta, sacco accincta propter maritum iuventutis suae.

9. Ablatum est sacrificium cibarium atque libatio Jehovae domui; lugent sacerdotes, qui Jehovae ministrant.

10. Vastata est regio, lugent agri; quin vastatum est frumentum, expalluit mustum, flaccuit oleum.

11. Expallescite agricolae, eiulate vinitores! propter et propter hordeum; etenim periit agrorum messis.

12. Vitis expalluit et ficus flaccuit, malus punica, ipsa etiam palma atque malus, omnes arbores agrorum exaruerunt, quin hilaritas sese hominum filiis prae pudore subduxit.

13. Cingite vos et plangite sacerdotes! eiulate qui altare ministratis! Venite, pernoctate in saccis, qui ministratis deo meo! quoniam subductum est domui dei vestri sacrificium cibarium et libatio.

14. Instituite sacrum ieiunium, proclamate concionem sacram! Congregate senes, omnes incolas terrae (in) domum Jehovae dei vestri et clamate ad Jehovam!

15. Eheu diem! nam propinquans est dies Jehovae; sicut vastatio a vastatore [hic dies] venit.

16. Annon coram oculis nostris cibus sublatus est? ex domo dei nostri [sublata] laetitia et exsultatio?

17. Exaruerunt grana frumenti sub glebis suis, desolata sunt horrea, diruta granaria; quin frumentum expalluit.

18. O quam suspirat pecus! perturbati sunt greges boûm, quia non est pascuum iis; etiam greges ovium poenas luunt.

19. Ad te Jehova! clamo, nam ignis consumpsit campos herbidos locorum pascuorum et flamma inflammavit omnes arbores agrorum.

20. Etiam bestiae agrorum [ferae] ad te vociferantur, etenim exaruere alvei aquarum et ignis consumpsit campos gramineos pascuorum.

Cap. II. 1. Inflate tubam in Ssijôn et taratantarizate [classicum canite] in monte meo sancto, ut contremiscant omnes

terrae incolae; nam venit Jehovae dies, immo est appropinquans.

2. Dies tenebrarum et obscuritatis, dies nubium et crassae caliginis; ut aurora super montes diffusa, est sc. diffusus populus numerosus et validus, qualis ab aeternitate inde non fuit nec post eum iterum erit usque ad annos omnium aetatum.

3. Ante eum consumit ignis et post eum flamma flammat; sicut hortus Edeniticus est terra ante eum et pone eum est vasta solitudo; et etiam eius non est evasio.

4. Qualis equorum est eius aspectus, atque ut equi bellici, sic incurrunt.

5. Ut strepitus curruum bellicorum super montium capita saliunt, ut stridor flammae stipulam devorantis, ut populus validus ad proelium instructus.

6. Ex ejus adspectu trepidantes refugiunt populi et quaeque facies prae terrore excandescit.

7. Ut heroes ingrediuntur, ut viri bellatores ascendunt moenia et in sua quisque via incedunt, et non inflectunt semitas suas.

8. Alter alterum non premit, per suam quisque semitam procedunt; et media per arma se praecipitant: ast non conficiuntur.

9. In urbem currunt, aggrediuntur muros, domos conscendunt, per fenestras ut fures ingrediuntur.

10. Ante eum contremuit terra, fremuerunt coeli; sol et luna obscurati sunt et stellae receperunt splendorem suum.

11. Et Jehova edidit vocem suam ante exercitum suum; profecto valde magna sunt castra eius, profecto potentes exsecutores eius verbi, profecto magnus est Jehovae dies et valde horribilis et quis eum sustinebit?

12. Sed vel hoc temporis articulo [vel etiam nunc] est Jehovae dictum: revertimini ad me toto animo vestro, et ieiunio, et fletu, et planctu!

13. Et lacerate cor vestrum [1]), et non vestimenta vestra, et revertimini ad Jehovam, deum vestrum! etenim est propitius et misericors ille, tardus ad iram et multae gratiae, ita ut eum perditionis poeniteat.

---

1) animos vestros.

14. Quis sciat, forsitan redit, forsitan eum poenitet et relinquit pone se benedictionem, sacrificium cibarium et libationem pro Jehova deo vestro.

15. Inflate tubam in Ssijôn; ieiunium sanctificate, convocate concionem.

16. Congregate populum, sanctificate conventum, colligite senes, congregate parvulos et mammas lactentes; egrediatur sponsus e thalamo suo et sponsa e cubiculo suo.

17. Inter vestibulum et altare fleant sacerdotes, Jehovae ministrantes, et dicant: parce Jehova! populo tuo neu committas peculium tuum contumeliae et orationi mordaci paganorum! cur dicant inter populos: „ubinam est deus eorum"?

18. Et Jehova zelotypus fuerit terrae suae et populo suo pepercerit.

19. Et responderit Jehova et dixerit populo suo: en me vobis mittentem frumentum, mustum, oleum, ut eo satiamini; et non amplius vos reddam contumeliam inter populos.

20. Hunc septentrionis incolam, locustarum exercitum a vobis desuper removebo et propellam eum in terram aridam et vastam; eius agmen primum in mare anterius [orientale, mortuum] et eius agmen extremum in mare posterius [occidentale, mediterraneum]; et ascendet eius foetor, immo ascendat eius odor cadaverosus, nam magnam vastationem effecit.

21. Noli timere terrae! exsulta et laetare! nam miraculose egit Jehova.

22. Nolite timere pecudes agrorum! nam virent pascua camporum, nam arbores ferunt fructus suos; ficus et vitis dant opes suas.

23. Vos filii Ssijônis [Jehovae cultores] exsultate et laetamini in Jehova deo vestro, nam dat vobis pluviam autumnalem justâ mensurâ; vobis demittit imbres: pluviam autumnalem et pluviam vernam [utramque] suo tempore.

24. Ita implentur areae frumento et redundant cupae musto et oleo.

25. Et compensabo vobis annos, quos voravit locusta:

Jéleq, Chazîl, Gazam, ingens meus excercitus, quem misi contra vos.

26. Tum comedetis et in edendo et vos satiando continui eritis et laudabitis nomen Jehovae vestri dei, qui vobiscum egit mirifice [ad miraculum usque]; et non pudore afficietur populus meus in aeternum.

27. Et cognoscetis me esse inter medios Israelitas, et memet Jehovam esse deum vestrum et [praeter me] nullum alium esse sc. qui deus vester sit; et non pudore afficietur populus meus in sempiternum.

Cap. III. 1. Quo facto spiritum meum omni carni superfundam: et deinde vestri filii filiaeque vaticinabuntur; senes vestri somnia somniabunt; iuvenes vestri visa videbunt.

2. Atque adeo super servos et super ancillas illis diebus effundam spiritum meum.

3. Prodigia edam in coelo et in terra: sanguinem, ignem, columnas fumeas.

4. Sol in caliginem, in sanguinem luna se convertet, priusquam Jehovae dies magnus et formidolosus venerit.

5. Deinde autem omnis, qui Jehovae nomen profitetur, salvus evadet; nam in Ssijôn monte et Hierosolymis evasio erit, quemadmodum dixit Jehova, et inter superstites erit, quem Jehova [ex proelio] revocaverit.

Cap. IV. 1. Ecce vero! ipsis diebus illis et ipso tempore illo, quo Jehudaeae et Hierosolymorum captivos reduxero.

2. Omnes populos congregabo et in Jehoshaphat vallem deducam, ubi cum iis in iudicio litigabo de populo meo et de Israel hereditate mea, ideo quod eum (sc. Israel) per gentes dissiparunt, quod terram meam inter se dispertiti sunt.

3. Quod populum meum sortiti sunt, quod puerum pro meretrice tradiderunt.

4. Quin etiam vos, Tyre et Sidon! et omnes regiones Philistaeae! quid vobis mecum est? utrum malefacta retribuere cogitabatis, an [sine ulla causa] mihi male facturi eratis? [sive hoc sive illud fuerit] illico vestra malefacta in capita vestra reddam.

5. Qui argentum meum et aurum meum abstulistis et meas res pretiosas vestris delubris intulistis.

6. Qui Jehudaeos et Hierosolymitanos Graecis vendidistis, ut eos patriae finibus amoveretis.

7. En ego, qui illos ex hoc, in quem eos vendidistis, loco suscitabo et vestra scelera in capita vestra reducam.

8. Vestros filios filiasque Jehudaeis vendam, qui eos Śabaeis, genti longinquae vendent; quod profecto Jehova locutus est.

9. Haec nationibus palam facite; bellum contra Jehovam conflate; expergefacite heroas: appropinquent et ascendant omnes viri bellicosi!

10. Vomeres vestros cudendo immutate in gladios, falces in hastas, et vel qui infirmus est, heros, inquiat, ego.

11. Adproperate et venite populi ex omni circuitu et congregamini; in eum locum fac, descendant tui Jehova! heroes.

12. Expergiscantur et ascendant nationes in Jehoshaphat vallem; nam ibi sedebo de populis ex omni circuitu iudicaturus.

13. Falcem messoriam supponite, nam messis maturuit; accedite et calcate, nam confertum est torcular, superfluunt cupae, nam multa sunt eorum malefacta.

14. Hominum multitudines, hominum multitudines in valle et quidem in valle ab Jehova [hostium] exitio praestituta; nam prope est Jehovae dies in valle, in valle dico ab Jehova exitio praestituta.

15. Sol et luna obscurantur et stellae recipiunt suum sibi splendorem.

16. Jehova de Ssijôn rugit, vocem suam mittit de Hierosolymis; fremunt coelum et terra; est enim Jehova refugium populo suo, Israelis filiis praesidium.

17. Me Jehovam, deum vestrum in Ssijôn monte meo sacro habitare cognoscetis; et Hierosolyma erunt sanctuarium, non iterum peregrini ea intrabunt.

18. Et futurum est illo die, ut montes musto rorent et colles fluant lacte et omnes Jehudaeae alvei aquis fluant; etenim fons ex Jehovae domo egredietur, qui vallem acaciarum irrigabit.

19. Missraim autem in vastitatem mutabitur; Edôm in regionem vastam et desertam propter injuriam Jehudaeis

illatam in quorum [= quum in horum sc. Jehudaeorum] terra sanguinem insontem profuderint.

20. Jehudaea in aeternum perstabit et Hierosolyma per omnium seculorum memoriam.

21. Jehudaeorum sanguinem ultione ab interfectoribus sumenda insontem reddam, non eum inultum sinam, ita Jehova habitans sit in Ssijône.

Pars prior I—III.

CAP. I.

Vers. 1. „verbum Jehovae, quod pervenit ad etc.“ Volunt haec verba tamquam pro inscriptione haberi, quam auctor libro suo praetexuit. Quod autem argumentum libri „verbum Jehovae“ inscripsit, sese prophetam fatetur, qui ea nunciaturus sit, quae menti suae divinitus suggesta sint. Quam significanter ita inscripserit, hinc intelligi licet, quod germani prophetae — posteriori certe tempore — hac inscriptione se distinctos volebant a pseudoprophetis, qui ea loquerentur, quae suopte ingenio invenissent; et sane quidem omne, quod inter utrosque intercedit, discrimen adeo hac in re positum cernit Jeremias, ut 23, 16 prophetas suae aetatis falsiloquos nominet, quippe qui חזון לבם ידברו sua ipsorum cogitata eloquantur, לא מפי יְיָ non verba ab Jehovae ore accepta. יואל = Jehova est deus. „Filium Pethuelis“ subiunxit, ut ab aliis, qui eodem nomine gaudebant, se distingueret; de Pethuele nihil proditum est. Inscriptio hac simplicitate Joelis aetati plane conveniens est. Vss. 2. 3. Hisce versibus propheta tamquam exordio utitur, quo orationi suae, quam in sacra contione habet, audientiam faciat auditorumque animos ad ea, quae sequuntur, intendat. הזקנים o senes! vocat. c. artic. cf. Ewald. gr. § 327 a. זָקֵן vox signif. etiam virum munere, dignitate conspicuum, ita ut omnis notio senis exsulet (cf. ar. شَيْخٌ senior, doctor, vir principatu, pietate, arte conspicuus; cf. senatores, γέροντες). Non dubium est, utro significatu h. l. vox accipi velit: propheta primum senes alloquitur, homines aetate maxime provectos, qui plurimarum rerum experientiam

habent. Incolae omnes terrae sc. israeliticae, Palaestinae. וְאִם [s. אִם] — הֲ utrum — an. Quum tale quid nullo tempore acciderit, v. 3 auditores adhortatur, ut id ceu unicum inauditumque posteritati prodant. Quod vero hancce rem memoriae perpetuitate dignam pronunciat, eam tamquam פעל (אלהים) יָי (Ps. 64, 10) esse, innuere videatur; scilicet tales res, quae suo genere singulares ideoque divinitus factae esse credebantur, in animis Israelitarum colloquiisque perpetuo inhaerescere debebant 2 Mos. 10, 2. 5 Mos. 4, 9 etc. עליה praep. על cum verbis dicendi, audiendi etc. obiectum denotat, de genere fem. cf. gr. § 172 b. V. 4. rem ipsam denotat: vastitatem locustis effectam. De quatuor vocabulis locustam significantibus parum constat, utrum certa quaedam locustarum genera an locustam denotent, qualis diversis vitae suae aetatibus sit, cf. lexic. et interpp. ad h. l. Vss. 5—8. Primum vini potatoribus succlamat, ut ex temulentia sua expergiscantur. שִׁכּוֹר = qui bibendo שָׁכָר inebriatus est. שֵׁכָר quivis potus inebrians, praecipue vinum artificiose (aromatibus) conditum Jes. 5, 22—; cf. ar. سَكَرٌ vinum ex dactylis et كشوث herba paratum, cf. Hieronym. epist. ad Neop. 2. edit. Vallars. p. 266. „Sicera hebraeo sermone omnis potio, quae inebriare potest, sive illa, quae frumento conficitur, sive pomorum succo aut cum favi decoquuntur in dulcem et barbaram potionem . . etc.“ item in Comm. ad Jes. 28, 5. vid. Credn. ad h. l. עָסִיס expressum = succus torculari expressus (Mal. 3, 21. عَصَّ II عَصِيرٌ Syr. ܚܨܝܪ) succus ex uvis vel frugibus v. e. malis granatis (Cant. cant. 8, 1) recens pressus = mustum, cui nulladum inebriandi vis inest; h. l. עסיס = mustum ex uvis paratum. „Quod ori vestro praereptum est“; scilicet uvae iam dulcescebant et vindemia instabat. Parum recte iudicant, qui quandam quasi potatorum castigationem his verbis subesse arbitrantur; vini potores ideo primi invitantur, quod damnorum, quae illata fuerant, vini iactura damnum erat gravissimum et vini amantes id gravissime sentiebant. Vss. 6. 7. causam exhibent, cur vinum praereptum sit. Sane quidem nunc temporis nemo dubitat, quin voce גוי propheta locustarum agmen reapse dixerit; verum tamen ii interpretes figuratam huius vocis significationem non penitus perspexerunt, qui eam et n. l. eadem vi usurpatam

accipiunt, qua עם vel ar. أُمَّة de quorumcunque animalium multitudine adhibetur (cf. Prov. 30, 25) vel quemadmodum Graeci de ἔθνεσι χηνῶν, γεράνων, μελισσάων, χοίρων (Hom. Il. 2, 87. 458. 469. etc.) vel Romani de apium populis (Colum. 9, 13.) de equorum gentibus (Virg. georg. 4, 430.) loquuntur. Vox גוי — ut Crednerus iam monuit — hanc peculiarem notionem admittere potest, ut etiam populum infensum, hostes, barbaros denotet; et hanc quidem notionem voci n. l. prophetam reapse adiuncturum fuisse, etiam verba עלה על־ quodammodo innuere videantur; est enim haec tamquam locutio militaris, quae de gentium hostilium profectione in Jehudaeam et Hierosolyma quippe loca circumiacenti regione editiora adhiberi solet. Credn. significanter: ein Heidenvolk ist heraufgezogen. Istos temulentos propheta tamquam clamore bellico somno excitaturus erat. Quod hunc populum dentibus leoninis armatum facit, ei talem devastandi facultatem, qualem leonibus inesse dicit; non in dentium similitudine, quae omnino nulla esse possit, sed in vastatrice morsus efficientia comparationis cardo vertitur. מתלעות Gesenius dubius haeret, utrum haec vox a تلع „eminere, exstare“ descendat et dentes eminentes = dentes caninos, columellares, an a لتع (cf. מַלְתָּעוֹת Ps. 58, 7.) „mordere“ et primores dentes incisores denotet. LXX. μύλαι = μύλακροι dentes molares, maxillares, genuini. Meierus vocem n. pro participio Piel. accipit idque derivat a تَلَعَ fregit, trivit, ita ut conterentes i. e. firmos dentes maxillares significet. Ewaldus, qui מַלְתָּעוֹת pro forma genuina habet, vocem ex lingua aethiop. illustrat, cf. gr. § 78, c. לביא gen. fem. = leaena cf. gr. § 173. f. V. 7. vitem „meam“ ficum „meam“; propheta potorum nomine loquitur. Quaeritur, cur in hac oratione, quae ad solos vini potores spectat, praeter vitem etiam ficus devastata commemoretur. Intpp. hac de re multa parum recte monuerunt. Ficus non aliam ob causam plerumque (Jerm. 5, 17. 8, 13. Hos. 2, 12.) cum vite coniuncta esse videatur, quam quod illae arbores in vineis admodum crebrae erant; forsitan potores sub umbroso earum tegmine recubabant. שׂוּם לְ־ aliquid mutare in vastitatem, vastatum reddere etc. gr. § 217. d. קצפה ἅπαξ λεγ.

infractio. ar. قَصَفَ infregit LXX. συγκλασμός v. κλασμός ed. Compl. gr. §. 150. b. חָשַׂף كشف deglupsit; arborum foliis, fronde spoliare (Ps. 29, 9.). Suffixum in חשׂפה ad ficum, non ad fidem referas. השׁליך contemptim, humum, proicit sc. corticem vitis degluptam, non vitem ipsam vel eius palmites. הלבינו hanc for. Syr. sensu transitiv. accepit, numero plurali ad vocem גוי tamquam nomen collectivum relato: ܡܚܘܪ ܫܒܒܘܗܝ albos fecit sc. iste populus ramos eius. Quum vero in antecdd. numerus sing. vocem גוי continuo sequatur, pluralis hoc dumtaxat loco mirus videatur. שׂריגיה (suffixum non potest non referri ad vitem;) vitis palmites (1 Mos. 40, 10.); = albent ejus palmites. Vss. 8—11. a vinetis prophetae contemplatio ad totam Jehudaeae terram frumentariam se convertit, quam veluti viventem sentientemque ad lugendum invitat: v. 8. quemadmodum virgo, nova nupta, sacco accincta mortuum luget maritum iuvenem, ita terra Jehudaica lugere debeat. Quoniam vox בתולה virginem, בעל autem maritum ad lŏquendi usum denotat, at vero loco nostro inter utramque vocem ὁμοιογενής i. e. aequalis sibique invicem respondens ratio intercedere debet, homines docti quaerebant, ut בתולה vox etiam maritam, an — si non — בעל amasium vel sponsum significare queat. Crednerus sibi persuasum habet, בתולה nunquam significare feminam nuptam, sed non posse non dici de virgine illibata (sive amica sive sponsa). Ab hac sua persuasione profectus necessario concludit: בעל vocem nostro certe loco etiam vel amasium vel sponsum significare; et profecto non sibi deesse videtur, quin hanc significationem ab aliquo scriptore usurpatam ostendat. Laudat enim notabilem locum, qui est apud Hoseam 2, 18. me vocabis אישי et non amplius בעלי; quem quidem locum ostendere opinatur, בעל vocem quandam fuisse adulatoriam, qua amicae amasios suos compellarent. Sed Crednerus Hoseae verba parum recte intellexit, cf. Hitz. ad h. l.[1]) Meierus contra voce בעל nunquam sponsum vel amasium sed maritum solum significari sibi persuasum habet; itaque concludit, vocabulo בתולה etiam feminam recens

1) Omnis illius loci difficultas in ambiguitate vocis בעל et deum et maritum significantis posita est; nimirum verborum ludum propheta ludere voluerat.

nuptam, quam suo quis iure virginem dixerit, nostro certe loco significari. Similem quendam loquendi usum apud homines latinos laudat: Horat. od. 2, 8, 23. Verg. ecl. 6, 47. Aen. 1, 493. *παρθένος*, *κόρη*; etiam بِكْرٌ بَاكِرَةٌ virgo intacta, mulier primipara (quae semel modo peperit). — Quamquam vero uterque hoc illud ad persuasionem apposite dixit, neuter tamen de sua interpretandi ratione omnino nobis persuadeat, quandoquidem in V. T. locus non exstat, unde appareat, vel בתולה vocem significatu feminae recens nuptae vel בעל amasii, sponsi usurpatam esse. Cur de ratione inter maritum iuvenem atque feminam recens nuptam intercedente cogitare maluerimus, haud scio an quid causae etiam in eo positum esse videatur, quod coniuges arctiore amoris mutui vinculo consociati erant, quam desponsati, qui pro consuetudine apud orientales vigenti saepenumero praesentes se non viderant vel de facie cognorant. Quocirca בעל maritum iuvenem, *νυμφίον* = *παρθένιον ἄνδρα*, *ἔφηβον ἄνδρα*; בתולה feminam recens nuptam, *νύμφην* = *κόρην ἀρτίγαμον* non male interpretaberis [1]). אלי iprt. fem. חגרת־שק de st. cstr. cf. gr. § 288, 2. b. נעורים iuventus; de num. plur. masc. notione abstracta gr. § 179. a. Vss. IX. X. et cum versu VIII et alter cum altero logice cohaerent: et quidem versus IX. causam affert, cur terra Jehudaica lugere debeat; hanc autem causam esse, quod terra oblationes Jehovae debitas in posterum offerre nequeat; versus X significat, quam ob rem hae oblationes intermittendae sint. מנחה ונסך sacrificium cibarium et libatio, quae cum זבח sacrif. victimario singulis diebus et mane et vespere coniunctim fiebant. In templo quotidie duo agni anniculi alter tempore matutino, alter vespertino immolabantur; cum hac vero hostiâ agninâ sacrificium cibarium מנחה et libatio נסך coniuncta erant; illud ex (סֹלֶת בָּלִיל בְּשֶׁמֶן כָּתִית) farinâ candidâ oleo perfusâ, haec vero ex vino constabat, cf. 2 Mos. 29, 38—42. 4 Mos. 28, 3—8. Atque haec erant Israelitarum sacra quotidie facienda עֹלַת־הַתָּמִיד; et vero tam religiose observabantur, ut nullo tempore ne inter bella quidem oppugnationemque intermitte-

---

1) De immodico viduarum orientalium luctu vide sis poematium arabicum apud Credn. ad h. l.

rentur, cf. Jos. Arch. XIV, 4. § 3. Praeter haec utique alia erant, et sacrificia cibaria et libationes; verum tamen propheta non nisi ea, quae una cum illo sacrificio agnino fiebant, n. l. dicturus fuisse videatur; et ita quidem נסך vox l. n. non aliam libationem, quam vinariam significat [1]). „Ablatum est sacrif. cib. et lib.“ haec verba non ita accipi volunt, quo iamiam illa sacrificia fieri desita sint; ea quae accidere poterant et quae, ne fierent extimescenda erant, propheta more poetico iam facta et praesentia describit. Sacerdotes vero ob instantem illorum sacrificiorum intercapedinem iam lugent; en quod monendum erat contra interpretes quosdam, qui somniabant sacerdotes hanc ob causam a propheta lugentes fingi, quod sacrificiis diurnis, quorum plurimam partem (3 Mos. 2, 3. 10. 7, 9. 10.) pro suis ipsorum usibus sumebant, intermissis, nihil haberent, quo cum mulierculis ac liberis vescerentur: oh interpretationem malignam! הַכֹּהֲנִים iure quaeritur, cur haec vox articulo ornata sit, et non item voces אִכָּרִים ac כֹּרְמִים v. 11. 2. sane non dubium est, quin certum quoddam sacerdotum genus eorum nempe, qui in templo hierosolymitano Jehovae sacra administrant, illo articulo significari velit; quem articuli significatum innuunt quoque verba sqq. מְשָׁרְתֵי יְיָ; illo articulo ordinem sacerdotum prae aliis ordinibus eximium denotari, Crednerus aliique male suspicati sunt. שֵׁרֵת Piel. de sollenni sacerdotum ministerio 2 Mos. 28, 35. Versus X causam, ut monuï, affert, cur quotidiana sacrificia cibb. et libationes fieri nequeant; frumentum, vinum, oleum singillatim enumerantur, quod ex iis ipsis מנחה et נסך constabant. Propter logicam, quam dixi inter hunc versum et IX. intercedere, rationem, particula כִּי utique affirmativa [= immo, quin immo] esse videtur, non explicativa vel causativa [= nam, etenim]; scilicet hoc posteriori hemistichio כי שדד וגו׳ prioris hemistichii, ut Crednerus aliique volebant, causam contineri, non probabile est, quandoquidem utrumque hemistichium [totus versus] eorum, quae versu IX monentur, causam exhibet. שָׂדֶה extensio, planities (سَطْحٌ), campus apertus, utpote

1) Etenim praeter hanc etiam aliae et quidem olearia 1 Mos. 35, 14. et aquaria 1 Sam. 7, 6. commemorantur.

qui agro sepibus munito oppositus est; (hinc 'אִישׁ שׂ = qui libere vagatur, vagabundus) אֲדָמָה terra ferax, ad culturam idonea, de rubicundo colore, qui terrae fertili proprius est (cf. 'אִישׁ א qui agros colit); itaque אדמה et שׂדה totam terram denotant, et cultam et incultam. תִּירוֹשׁ mustum vinarium, cui vis inebriandi inest cf. ܡܠܝܢ ܓܠܘܩܐ Act. 2, 13. הוֹבִישׁ non satis constat, utrum haec forma derivari velit a יָבֵשׁ = exsiccescere, Hiph. הוֹבִישׁ a) aliquid exsiccare, siccum reddere; b) se exsiccare, se siccum reddere = exsiccescere, evanescere; an a verbo בּוֹשׁ, cuius Hiph. item הוֹבִישׁ sanare potest: pudorem facere, ostendere, erubescere, expallescere = beschämt dastehen. cf. gr. § 117 et 122. c. quo significatu hoc verbum v. 12. utique de גֶּפֶן usurpatur. Veteres versiones ad sensum verbi יָבֵשׁ interpretabantur cf. LXX. ἐξηράνθη, syr. ܝܒܫ ܚܡܪܐ chald. יְבִישׁוּ גּוּפְנַיָּא (aruerunt vites); aliquot posteriores etiam de בּוֹשׁ cogitarunt: vers. arab., quam M. S. Pocockius laudat nec non Vulg. „confusum (= pudefactum) est vinum“. Et vero utraque significatio adeo quadrat, ut R. Tanchumus, vir subtili iudicio in medio relinquendum statuat, utra utri anteponenda sit: اليبس والجفاف يجوز ان يكون في معنى الخزي والجل ويجوز ان يكون من معنى ذلك. استعارة[1] لانقطاعه Quum vero in vocabulis seqq. verbum אמל, quod de plantis arboribusque (cf. lexic.) usurpatur, ad יצהר translatum sit, in forma הוביש magis de בושׁ cogitandum videatur; ita enim vocabula הוביש תירוש aeque ac 'אמלל י metaphoram exhibent; interpretatio: „mustum exsiccatum est“ iuxta illam metaphoram 'אמלל י posita ieiuna videretur cf. sis Jes. 24, 7. אבל תירוש et illud החפיר Jes. 33, 9. Vss. 11—13. oratio ad agricolas vinitoresque dirigitur הֵילִילוּ, הֹבִישׁוּ iprtt. 'ה = erubescite, expallescite sc. propter vanam spem, qua lactabamini et elusos labores vestros cf. Jerm. 14, 4. 12, 13. אִכָּר (أَكَّارٌ) terrae fossor, agricola (gr. § 82, c. de notione lit. rad. II. geminatae gr. § 155). Triticum et hordeum prae reliquis frumenti generibus nominantur, quippe quae potissimum hominum animaliumque nutrimento sint. Hieron. ad h. l. „triticum, quo aluntur ho-

---

1) Ita enim legendum et pro اسعارة, quod Pocockius exhibet.

mines et hordeum, quo iumenta irrationabilia sustentantur.“ חִטָּה triticum (حنطة, حِنْطَةٌ,) שְׂעֹרָה hordeum, cf. שֵׂעָר horreo[1]), شَعِير De קָצִיר messis frumentaria gr. § 149 e. (cf. אָסִיף, קַיִץ, בָּצִיר) Vs. 12. „vitis cum ficu“; hoc propter כרמים (vs. 11.) iteratur. רִמּוֹן malus punica; arbor procera, floribus colore mire rubro adornata, poma ferens purpurea persuavi succo; de flammeo mali punici rubore cf. cant. cantt. 4, 3. 6, 7. תָּמָר phoenix dactylifera; arbor sua magnificentia pariter atque utilitate illustris: cibum, potum, vestimentum suppeditat; praeter fructus aliae etiam partes hujus arboris nutrimento sunt: quamdiu iuventute gaudet, medullam esu persuavem praebet, quae in cupediarum numero habetur; ex foliis crambe quaedam paratur; stirpe incisâ perdulcis succus manat; ex dactylis vinum palmeum acquiritur; foliis denique pro vestimento, stragulis, flabellis, umbellis etc. utuntur. תַּפּוּחַ malus (تُفَّاح) עֲצֵי הַ׳ his vocabulis arbores regionis Jehudaicae promiscue significantur „omnia ligna vel infructuosa vel fructuosa“ (Hieron.) כִּי = quin immo. parum recte LXX: *ὅτι ᾔσχυναν χαρὰν οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων*; itemque Syrus particulam כִּי sensu causativo perperam accepit ܡܛܠ ܕܒܗܬܬ ܚܕܘܬܐ ܒܢܝ̈ ܐܢܫܐ ܡܢ „quoniam laetitia se avertit a filiis hominis“. Quod attinet ad vastitatem, quae vss. 9—13 describitur, eam commentatores „locustis“ effectam usque interpretabantur; Crednerus tamen contendebat, vastationem intelligi debere, quae „siccitate“ effecta esset, parum scilicet probabile videri, cunctam regionem tantopere posse locustis devastari. Sibi persuadebat, illam vastitatis per locustas factae descriptionem, quam propheta a v. 4. exorsus erat, versu 8. abruptam esse: versibus 9—13 autem regionis siccitate vastatae descriptionem exhiberi. Quam sententiam his fere argumentis fulcire voluit: ex eo, quod cap. 2, 19 et sqq. agri, vites, arbores, etiam eodem anno — pluviâ demissâ — largos fructus ferre dicantur et quidem ita, ut iactura sarciatur 2, 25. inde igitur concludit,

---

1) Eodem modo nostrum Gerste et lat. hordeum de horrendo appellantur: utrumque redit ad हृष् se erigere, horrere, de pilis corporis, de aristis; item *κριθή* (aspiratione transposita cf. *κιθών* et *χιτών*).

hanc vastitatem non a locustis effectam fuisse; videlicet non probabile esse, segetes, vites, arbores locustis degluptas eodem anno fructus et quidem largos ferre potuisse; sin contra arefactae fuissent, a vero non abhorrens esse, arefactas etiam — pluviâ in tempore demissâ — novos succos duxisse, reviruisse et eodem anno largos fructus tulisse. At vero tota haec argumentatio in errore posita est: videlicet illi versus, qui 2, 19 sqq. et 25. leguntur, non de eiusdem, quo segetes, arbores, vites vastatae sunt, anni messe, sed de frugum proventu, quem Jehova in annos promittit futuros, intelligi volunt. Quod deinde Crednerus de אמל monuit, hoc nempe verbum de iis plantis, quae ob siccitatem marcescentes pluviam tamquam sitiant, magis proprie quam de iis dici, quae a locustis corrosae et decorticatae essent, id quidem suo iure monuit; ea, quae Meierus contradixit, illam scilicet verbi אמל significationem nec etymologiâ nec usu probari, id saltem inconsiderate dixit; quamnam, quaeso, significationem Crednerus verbo אמל vindicavit, nisi eam marcescendi, flaccescendi, et quis infitias ierit, hanc significationem propriam esse et sensu dici magis proprio de plantis, quae ob nimios solis calores quam ob violentam aliquam vastitatem emoriantur. Haec eadem et multo magis valent de יבֹשׁ verbo, quod procul dubio ad siccitatem refertur. Aliud argumentum Crednerus in vocabulis גם תמר positum cernit, vel potius in ratione, qua גם particula cum תמר coniungi debeat. Omnes, inquit, qui vastitatem (1, 9—13.) a locustis effectam statuunt, voces גם תמר alteram cum altera coniungere non possunt nisi hoc duplici sensu, ut vel significent: α) „etiam palmam, quae omnium arborum praestantissima esset, a locustis perditam esse; vel β) hac quidem locustarum irruptione etiam palmam, quae alias intacta relinqueretur, vastatam esse“. Deinde sic ratiocinari pergit: priorem illam interpretationem (α) ideo non admitti posse, quod Hebraei non palmae sed viti et ficui principatum detulissent; id quod Josephum (de bello Jud. 3, 10, 8) attestari, qui vitem atque ficum verbis τὰ βασιλικώτατα significarit. At vero, ut etiam concedamus, Hebraeos viti et ficui principatum assignasse, quis infitias ierit, palmam principem inter arbores locum obtinuisse! Non frustra alteram interpretationem (β) impugnare videatur, quum memoriae proditum sit, palmam

prae reliquis arboribus ob succosas frondes a locustis occupari, cf. Credn. ad h. l. Posthac sic pergit: interpretationem vocabulorum גם חמר expeditam esse, si quis vastitatem siccitate effectam statuerit; etenim quum palma ea arbor sit, quae prae reliquis continuo sole gaudeat et omnino aëre fervido ad vegetationem opus habeat, facile intelligi, quam significanter propheta verbis גם חמר summum, quem ne palma quidem pati posset, gradum siccitatis denotaverit. Laudat Joseph. (bell. Jud. 3, 10, 8.) *φοίνικες, οἳ καύματι τρέφονται* et Theophr. de causis plantt. 2, 4. *ἔνια [δένδρα] γὰρ δὴ ταῖς ὑπερβολαῖς χαίρει καὶ τὰ μέν ἐςι φιλόθερμα, καθάπερ φοίνιξ.* Quamquam Crednerus hoc illud ad persuasionem apposite dixit, tamen de opinione sua nemini persuadeat; haec autem res hoc fere modo expedienda videatur: quum propheta, qui versibus 4—8 vastitatem a locustis effectam describere coeperat, ne uno quidem verbulo innuerit, sese inde a versu 9. ad aliud vastitatis genus transiluisse, sane quidem vero simile est, eum etiam versibus 8—13 vastitatem a locustis effectam descripturum fuisse; sed ab hac quaestione: quid prophetae consilium vel mens fuerit, diversa est haec altera: utrum locustae vastitatis, qualis verss. 8—13 commemoratur, effectrices reapse esse potuerint? Praeterquam quod eodem, quo locustae terram devastabant, anno etiam calores permagnos fuisse ex cap. 1, 19. 20 intelligitur; in ipsa quoque descriptione (vss. 8—13) aliquot voces deprehenduntur, quae, si verbis fidiculas adhibere nolueris, non aliorsum possunt nisi ad siccitatem referri (cf. יָבֵשׁ, אֻמְלַל illud גַּם cum תָּמָר. His vocibus propheta, consilio tamquam reluctante, indicavit, hanc vastitatem non unice a locustis effectam esse; at vero vastitatem solâ siccitate effectam — ut Crednerus opinatur — versibus 8—13 non describi, inde colligitur, quod v. 12 vitis et ficus commemorantur, quam utramque propheta a locustis perditam esse, iam supra v. 7. monuerat. Cur autem haec vastatio, quae siccitate non minus quam locustis effecta erat, ad solas locustas tamquam effectrices referatur, causa a prophetae consilio et vaticinii indole repetenda est; id quod ex cap. II. intelligetur, ubi locustarum agmen imagine exercitus de coelo missi repraesentatur, qui Jehovae iussu terram jehudaicam devastat; hunc Jehovae exercitum propheta totius calamitatis effectorem

consulto significat; sed singula suo quaeque loco exponentur. Vss. 13 et 14 sacerdotes admonentur, ut ob sacrorum intermissionem vestimento lugubri accincti inter preces luctumque vigilias in templo agant; ut ieiunium instituant omnemque populum supplicationis causa in templum cogant. Qui versus omnino loco 1 Reg. cap. VIII. illustrari volunt; ibidem (v. 37.) inter calamitates, quae precibus in templo fundendis averruncari possint, etiam vastitas locustis et ariditate effecta commemoratur. חִגְרוּ sc. שַׂקִּים. בֹּאוּ non, ut Credn. aliique volunt, idem atque לְכוּ vel הָבוּ = agite, sed potius sensu proprio = venite sc. saccis induti. לִינוּ pernoctate i. e. dies noctesque vestimento lugubri induti estote. 'כִּי נ causa, cur lugeant. v. 14 צוֹם ieiunium, cibo et potu aliquamdiu abstinere[1]. עֲצָרָה congregatio, coetus sollennis. זְקֵנִים non tam

---

1) Relatu dignum est, vocem צוֹם in pentateucho non reperiri; jure quaeritur, num in eo jejunii mentio omnino non facta reperiatur et — si reperitur — quonam vocabulo notio ejus expressa sit? In pentateucho ieiunandi notio — ut ajunt — vocabulis עִנָּה נֶפֶשׁ denotatur, cf. 3 Mos. 16, 29. 31; — 23, 27. 32. 4 Mos. 29, 7; — 30, 14. Quod autem ad hanc locutionem 'עִנָּה נ attinet, eam Crednerus noluit pro vera et propria ieiunandi significatione habere, sed eam declaravit figuratam, qua tamquam definiatur, quid sit ieiunium vel quid esse debeat; nimirum ea verba interpretatur „voluptatibus vim inferre“, „carnis concupiscentiam opprimere“. Quoniam ea verba hoc sensu interpretatur et intellecta voluit, sibi etiam persuadet scriptores ea locutione indicaturos fuisse, verum et Deo acceptum ieiunium nequaquam esse meram abstinentiam nutrimenti, sed esse potius et esse debere animi atque mentis continentiam ab omni cupiditate et prava cogitatione etc. Ex hac locutione — pergit argumentari — colligendum esse, eo tempore, quo scriptores eam adhibuissent, ieiuniorum depravationem, degenerationem iam invaluisse, ita ut ea ab ieiunantibus tamquam „opera operata“ existimari coepta essent. Quum autem talis ieiuniorum depravatio, qualem ex illa locutione statuere cogamur, aetate Mosaica vixdum esse potuerit, illam [locutionem] ex posteriori, — eo forsitan — tempore, quo prophetae caerimoniarum vanitatem impugnare occepissent, originem duxisse videri. Si illa pentateuchi locutio primitiva et legitima ieiunandi denotatio fuisset, mirum sane videri, cur eandem Joel non usurpavisset praecipue hoc nostro loco, quo de sollenni ieiunio sermo esset. Quemadmodum apud Joelem, ita quoque in omnibus libris, qui antiquiore tempore compositi sint, vocabulum צוֹם deprehendi Jud. 20, 26. 1 Sam. 7, 6. 31, 13. 2 Sam. 1, 12. 12, 16. 21. 1 Reg. 21, 27. etc., illam vero locutionem עִנָּה נפשׁ posteriori demum tempore legi v. c. apud Jesaiam babylonicum 58, 3. 5. 10. in

senes, ut supra, quam principes, primores tribuum 1 Mos. 50, 7. בית accusat. cf. gr. § 204. 216. Versus 15 potissimam

---

Psalmo aetatis posterioris 35, 13 et libro apocrypho Judith 4, 9. ἐταπείνωσαν τὰς ψυχὰς αὐτῶν = ויענו את־נפשותיהם. Inde vero concludendum esse, eas quidem pentateuchi leges, quae ad ieiunia pertineant, posteriori tempore litteris mandatas esse. Ita quidem Crednerus. Quam praeposteram argumentationem, quae a male intellectis ענה נפש verbis originem duxit, Meierus impugnavit. Cui interpreti ענה נ' verba, quae edendi appetitum, aviditatem opprimere, debellare proprie denotent, plane idem atque צום significare videntur. Quod autem Crednerus dixerat, causam non intelligi, cur illam locutionem, si antiqua et lege Mosaica tamquam praestituta esset, Joel non usurpavisset, Meierus contra monuit, eam sollenni ieiunio, quod cum festo piaculari יום הַכִּפֻּרים coniunctum esset, proprie significando inserviisse; apud Joelem vero de ieiunio, quod praeter ordinem fieri deberet, sermonem esse. Cur autem posteriori tempore ענה נפש locutio denuo frequentaretur, causam Meierus in eo vidit, quod posteriores scriptores antiquioris sermonis usum imitari adamarent; quum autem etiam apud posteriores praeter illam locutionem vocabulum צום (v. c. Jes. babyl. 58, 4. Jon. 3, 5.) reperiatur, inde quicquam colligere omnino non licere. Haec fere sunt, quae Meierus contra Credn. monuit. — Atqui quod attinet ad ענה נפש, hanc locutionem commentatores utique sensu arctiori accipere videantur. ענה נ' = animum deprimere, affligere, humilem, maestum reddere. Quid quod etiam itrptt. LXX., qui locutionem nostram verbis *ταπεινοῦν ψυχήν* reddiderunt, non de solo ieiunio cogitasse videntur. Sollenniter adhibetur haec locutio de poenitentia, quam in festo illo piaculari Israelitae agere debeant. Lev. 16, 29. 23, 29. Num. 29, 7. Verba עַנּוֹת נַפְשׁוֹ nec non illud תַּעֲנִית Ezr. 9, 5. significant affectionem animi, qui poenitentiâ, dolore afflictus, contritus est; illa locutio omnia, quae Hebraei opus habebant ad poenitentiam, complectitur: ieiunium, fletum, lamentationes, preces et quae alia erant, quibus suam poenitentiam et tristitiam exprimere et testari solebant. Antiquissimo tempore ieiunium per se ipsum nihildum religiosi habebat, erat solummodo indicium animi lugentis vel poenitentiam agentis; temporis decursu evenit, ut per se ipsum pro actione religiosa et Deo accepta iudicaretur; ab hoc demum tempore illud צום usurpari coeptum est. Haec vero ieiunandi notio primum, quod ad Pentateuchum attinet, in Deuteronomio 9, 18. 19. reperitur, quamquam ipsum verbum צום ibi non legitur: etenim hoc loco Moses per quadraginta dies noctesque propter peccata Israelitarum nec pane nec aquâ fruitus esse traditur. Illis verbis, quae Exod. 34, 28. leguntur: לֶחֶם לֹא אָכַל וּמַיִם לֹא שָׁתָה [quibus sensus inest: Mosem inter illud, quo apud Deum in monte versabatur, tempus nutrimento non opus habuisse] his, inquam, verbis auctor libri Deuteronomici sensum substituit, quo Moses propter Israelitarum peccata a cibo et potu sua sponte abstinuisset: auctorem libri Deuteronomici ad

subiungit causam, cur ea, quae v. 14. monuerat, haud cunctanter perficienda sint: namque sibi videtur propheta iam surgentem „Jehovae diem“ praevidere. Hoc loco quaestio exsistit, quid „ille Jehovae dies“ יום יהוה dicere velit. Est vero haec — ut summatim loquar — perditionis ab ipso Jehova tamquam ultore et vindice factae constans quaedam sollennisque significatio. In hac quidem phrasi vocabulum יום suam temporis notionem omnino fere exuisse videatur. Etiam distinctius יוֹם פְּקֻדָּה Jes. 10, 3. יוֹם זֶבַח יהוה Sseph. 1, 8. יום אַף־יהוה 2, 2. significatur. Istas calamitates, quae suo genere singulares pestiferis naturae orientalis viribus gignebantur, ad ipsam naturam tamquam originem ac fontem referre nesciebant; deum quendam suspicabantur earum auctorem atque moderatorem; ita locustarum agmina, tempestates tumultuosae, venti ardentes, grandines calamitosae etc. divinitus facta esse credebantur; itaque perditio, calamitas, strages, quae hisce damnosis naturae viribus facta erat, sollenniter „Jom Jehovae“ appellabatur, cf. Jes. 30, 25 — fin. Praecipue proeliares illi dies, quibus hostiles exercitus hoc illove naturae effectu: tempestate, vento furibundo, grandine etc. perditi erant, dies Jehovae nominabantur, cf. quae hac de re ad cap. IV, 11 et 14 monita sunt. Hinc quoque patebit, dicendi formulas, quales יום מִדְיָן Jes. 9, 3. יוֹם יִזְרְעֶאל Hos. 2, 2. ar. يوم بدر etc. sunt, cum illa nostra יום יְיָ locutione nihil commune habere. Iam vero quaeritur, qualem propheta suo sibi animo hunc Jehovae diem finxerit? Hitzigio propheta de mundi interitu et omnium rerum fine cogitasse videatur; Meierus contra opinabatur, de ipso proelio, quo Israelitae ab exteris nationibus devincerentur,

---

locum Exod. 34, 28. allusisse, vocabulum כָּרִאשֹׁנָה Deut. 9, 18. indicat; quamquam reliqua ad Exod. 24, 18. referuntur: עִנָּה נ׳ locutionem de solo ieiunio intelligi, etiam propterea non vero simile videatur, quod eadem Ps. 35, 13. cum verbo צום coniuncta apparet עִנָּה בַצּוֹם נַפְשִׁי. haec locutio, quae proprie significat: animum deprimere, castigare etc. cum צום coniuncta dicere vult: animum „ieiunando“ castigare, opprimere, affligere. Hoc eodem sensu etiam verba Ezr. 8, 21. intelligi volunt. Eadem fere significatione, qua ענה etiam Niph. verbi כנע usurpatur; נִכְנַע α) humiliari, inflecti. β) se humiliare coram deo 1 Reg. 21, 29. = se poenitentia tactum praestare. Cf. lexic.

Joelem dicturum fuisse. Quo sensu propheta יום יְיָ verba l. n. acceperit, id ex cap. II. elucet, ubi Jehovae diem, cuius adventum hoc versu reformidat, iam praesentem describit. Ex illa descriptione est videre, Joelem etiam l. n. non nisi de instanti terrae vastitate, quam locustae atque solis calores effecturi essent, cogitare nec non vereri, ne ea talis tantaque exsisteret, qualis quantaque omnibus et incolis et animalibus ruinam minitaretur. שַׁדַּי (אֵל) = deus vastator, perditor, numen admodum infestum, quod aetate antemosaica praepotens erat; in huius locum, Mose auctore, Jehova, deus multo mitior atque iustior suffectus est. (1 Mos. 17, 1. 2 Mos. 6, 3. 1 Mos. 28, 3.) אֲהָהּ form. redupl. intri. אָהּ; הָהּ ach, ah! (أَحّ et أَوّ) h. l. cum לְ cf. gr. § 327. קָרוֹב particip. non קָרֵב (adiectiv.) cf. רָחוֹק et רָחֵק; participium statum durantem melius significat quam adiectivum verbale. קָרוֹב = propinquans, קָרֵב = propinquus. יָבוֹא sc. dies Jehovae. כְּשֹׁד praepositio כְּ non est — ut Hitzigius autumat — Kaf veritatis, ita ut πλεοναϛικῶς posita sit; vult potius dicere: instans vastatio talis tantaque est, qualem quantamque non potest efficere nisi deus iste El Schaddai. Illi commentatores, qui dubii haerent, utrum hic versus a sacerdotibus tamquam precandi formula pronunciari velit, an ad prophetae orationem pertineat, sententiarum cohaerentiam parum perspexerunt; in ore sacerdotum talia verba tolerari non possint. Vs. 16 — fin. Atqui propheta Jehovae diem Jehudaeis instantem praedixerat! hisce vss. suam praedictionem uberiore vastitatis iam praesentis descriptione tamquam confirmare atque fulcire studet nec non omnino ostendere, sese nihil, quod nimium esset, prolocutum esse. Tamquam si alteri cuidam vel sibimet ipsi de illa praedictione adhuc dubitanti responsursus sit, horum versuum ordinem aperit cum exclamatione הֲלֹא „annon coram oculis nostris etc.“ Inde etiam patet, falsum esse Meierum, qui haec verba ita explicat, ut dicere velint: quamquam haec frumenti exstinctio coram nostris ipsorum oculis fiebat, tamen, quin fieret, praepedire non potuimus: non poteramus non esse spectatores otiosi. Illud נכרת utpote positum post subiectum cum Hitzigio pro participio habemus. Propter sacrificiorum intermissionem (v. 9.) in templo etiam festa illa laetitiae plena desierunt; epulae, puta, sacrificales,

quas cum musica, cantu etc. celebrare assolebant. V. 17. de priori huius versus hemistichio et praesertim de discrepantia, quam versiones veteres exhibent, alio loco uberius disputavi [1]. עבש (cf. عَبِسَ, يَبِسَ יָבֵשׁ) aridum, siccum esse. פרדות cf. syr. ܦܪ̈ܕܐ grana frumentaria (versio syr. Joh. 12, 24.) a פָּרַד (فَرَدَ) separavit, sparsit. מגרפה (גָּרַף aliquid abripere, praesertim quid alluendo auferre, tollere cf. Jud. 5, 21. ar. جَرَفَ جرف alluvione abripere;) non ut alii voluerunt, instrumentum, cuius ope terra tollatur et versetur = palam, batillum, sed ipsum agrum aratro, pala, rastro subactum et — quod ad idem redit — ipsas agri glebas (جُرْفٌ) significat. Sensus est: „exaruerunt grana sub glebis suis". אוֹצָר nom. verb. Behälter, horreum cf. gr. § 152. a. 117. d.[2]) מַמְּגֻרָה gr. § 160 c. (מְגוּרָה Hagg. 2, 19.) = granarium, cella penaria; dagésh quod in מ cernitur, est dagésh dirimens cf. מאבוס et מסכנות, quae item frumenti receptacula denotant. V. 18. oh quam suspirat pecus! אֶנְּחָה de Nif. gr. § 123. b. בהמה praecipue armenta, boves, quae viridi et succoso pastu opus habent, cf. 3 Mos. 1, 2. ubi haec vox et maiores pecudes et minores בקר et צאן significare videtur. נָבֹךְ Nif. turbatum, consternatum esse [cf. מְבוּכָה consternatio, perturbatio.] prae fame sitique boves confusi, consternati agros oberrant. Quin etiam ovium greges fame laborant, quamquam haec pecora exili tantum pastu indigent eumque locis vel aridis atque ubertate destitutis reperiunt. נאשמו poenas luunt = velut si quid peccarint ac culpam sibi attraxerint. V. 19. Jam vero prophetae animus miseratione adeo commotus est, ut ipse precabundus suam vocem ad Jehovam tollat. Ignis et flammae = hyperb. pro aestu flagrantissimo, cuius effectus germanum ignem tantum non exaequat. מִדְבָּר [a דבר] locus, ubi pecus pascendi causa compellitur, loca inculta, pascua; [l. n. non de locis desertis cogitandum] נְאוֹת plagae, campi herbidi. Mentio arborum agrestium

1) Karle in Ephem. Oesterr. Vierteljahrschrift f. kath. Theol. anno 1863. Tom. II. fasc. 2.

2) Inserviebat etiam vino reponendo 1 Chr. 27, 27. אצרות היין = cellae vinariae.

(עֲצֵי הַשָּׂדֶה) prophetam bestiarum agrestium ב׳ ש׳ v. 20 memorem fecisse videtur. Etiam bestiae agrestes, ferae, belluae — animalibus domesticis v. 18. oppositae — prae fame sitique clamores edunt: hos clamores propheta ita interpretatur, ut iis Jehovae miserationem et auxilium implorare velint. ערג (cf. Ps. 42, 2.) aufschmachten, ἀναβλέπειν Syr. ܓܥܐ clamavit, vociferatus est; de gen. fem. gr. § 317. a. אָפִיק alveus fluvii; ut ne orationem praecidere cogatur, vocabula וְאֵשׁ וגו׳ ex versu 19. repetuntur.

CAP. II.

Verss. I—XII. Atqui ille Jehovae dies I, 15., cuius de adventu propheta studet popularibus persuadere, antiquitus ut dies proeliaris effingebatur, quo die proeliaturus Jehova una cum suo exercitu ad terram descenderet. Ab ipsa hac opinione propheta profectus est, qui hisce versibus adventans locustarum agmen imagine exercitus hostilis Jehovâ duce atque imperatore, terram invasuri depingit. Et vero tali arte in depingenda hac imagine versatus est suamque picturam omnibus numeris ita absolvit, ut interpretes superiorum saeculorum germanos exercitus, equos, equites describi autumarent nec non Assyrios, Babylonios, Chaldaeos, Persas vel alios quatuor (1, 4.) populos hostiles subintelligendos esse sibimet persuaderent. Quodsi quaerimus, quaenam sit illa utriusque (et militum et locustarum) agminis similitudo, ex qua talis allegoria originem duxerit, utique cavendum est, ne in hac illave re eam deprehendisse nobis videamur, quemadmodum isti interpretes lyncei, qui in locustae corpusculo formam equinam cernere volebant; nequaquam erat propheta singulas locustas cum singulis militibus vel equis collaturus, sed totum potius locustarum agmen cum exercitu militari; primaria autem similitudo, qua haec allegoria superstructa est, in toto illo, quem utrumque agmen prae se fert, aspectu et habitu cernitur; ab hac similitudine propheta profectus est, ita tamen, ut et alias partes consimiles sibique respondentes ingenio suo poetico deprehenderet deprehensasque mirifice describeret. Ceteroquin in V. T. haud raro bellatores, equi bellici et lo-

custae cum alteris alteri vario respectu conferuntur Jud. 7, 12. Nach. 3, 15. Jerm. 46, 23. 51, 14. 27. Judith. 2, 20. Jes. 33, 4. Hiob. 39, 20., ubi modo in multitudine, modo in currendi celeritate comparationis cardo vertitur; in nescio quo loco etiam locustarum fremitus cum strepitu exercitus comparatur.

Multis interpretibus, qui prophetae consilium parum perspexerant, mirum videbatur, quod ad hanc locustarum descriptionem tanto studio atque labore incubuisset. Id vero eum ad finem fecit, ut popularium opinioni: Jehovae diem esse proeliarem diem, satisfaceret; nam suo iure sperare poterat, sese, quo perfectiorem probabilioremque illam allegoriam reddidisset, eo magis assecuturum esse, ut populares istud locustarum agmen non forte fortunâ ipsorum terrae adactum crederent, sed id revera esse exercitum coelestem et divino iussu atque imperio adventasse sibi persuaderent [1]). Itaque propheta agmen locustarum, quod ex Hierosolymis, loco suo edito prospicit, tamquam exercitum ab Jehova missum et sub eius auspiciis adventantem describere incipit.

V. 1. primum est, quod in tali re fieri debeat, ut sacerdotes tubarum sonitu — qui mos bellicus erat — incolis adventum exercitus hostilis significent. Jerm. 6, 1. Am. 3, 6. Hos. 5, 8. Hesek. 33, 1—6. שׁוֹפָר tuba, σάλπιγξ, qualem formam habuerit, vel qua ratione a קֶרֶן, חֲצֹצְרָה diversa fuerit, parum constat. תָּקַע pulsare, ferire: intellige de sonis ruptim i. e. ex intervallo edendis; constr. etiam cum בְּ. Meierus hos tubae sonos non recte de signis interpretatur, quibus sacerdotes populum Hierosolyma ad concionem, supplicationem convocare solebant; verba nostra nonnisi de signo bellico intelligenda esse, haud dubie voce הְרוּעָה significatur; qua de re cf. 4 Mos. 10, 1—10. quo loco Moses ab Jehova iussus est duas tubas facere, quibus duplex signum dari posset: aut ut populus in sanctuarium ad concionem conveniret [לְמִקְרָא הָעֵדָה], aut ut ad bellum se

---

1) Exercitus Jehovae. Muhammedes locustas interficere vetuit, eo quod — ut aiebat — جند الله الاعظم essent; huc etiam pertinet iocularis quaedam fabella, quae haec est: in manum Muhammedis vel ante ejus pedes quondam locusta cecidit, cujus alis verba inscripta erant: نحن جند الله الاكبر „nos sumus exercitus Dei maximi. cf. Pocock. p. 216.

pararet [לְמַסַּע אֶת־הַמַּחֲנוֹת]; ut vero signum alterum ab altero dignosceretur, duplex tubam inflandi genus in usu erat: si simpliciter inflabatur [תקע בשופר], erat signum conveniendi ad concionem; sin tumultuose [הריע בחצצרות l. l. v. 9.], signum militare, classicum erat cf. תקע תרועה Jehova peculiariter Mosi commendaverat, ne tuba, quum populus in concionem et ad precandum conveniret, tumultuose inflaretur l. l. v. 7. תתקעו ולא תריעו; etiam alii loci attestantur, verbum הריע non nisi de signo militari accipi velle cf. lexic; ut hoc sensu l. n. accipiatur, insuper verba sqq. monent: „ut contremiscant omnes terrae incolae". Illum Jehovae diem solis lunaeque obscuratione aliisque rebus, quae insolitae ac mirae in coelo vel aëre fierent, tamquam portendier, pervagata opinio fuisse videtur cf. c. III, 3. 4. IV, 15. Jes. 13, 10. Jer. 4, 28. Hes. 7—8. etc. itaque v. 2. illae tenebrae, quae diem, quo propheta loquebatur, occultabant, in numerum portentorum (מופתים) referuntur; hinc patebit, cur in pingendis his tenebris tam multus sit, cur vocabula earum crassitudinem significantia tantopere exaggeret. Erant autem hae tenebrae — ne quis eas ex solis defectu ingruisse suspicetur — locustarum agmine effectae, quod agmen velut nubes in aëre pendens radiis solis officiebat. Plin. h. n. 11, 29. „solem obumbrant, sollicitis suspectantibus populis, ne suas operiant terras; immensos tractus permeant diraque messibus contegunt nube". Quamquam propheta has tenebras locustarum agmine effectas esse probe sciebat, eas tamen hoc sensu interpretatur, quo divinitus obortae sint et tamquam portenta illius Jehovae diei esse velint cf. 2 Mos. 10, 15. יום l. n. non, ut intpp. volunt, pro יום יהוה positum est; illa voce propheta minime Jehovae diem significaturus est, sed eum diem, quo loquitur vel se loquentem fingit i. e. tempus Jehovae diem proxime antecedens; hunc vero diem suas propter tenebras prodigiosum habet. Locustarum agmen — si eius magnitudinem potentiamque respexeris — tale est, quale nec unquam fuerit nec unquam futurum sit; inde vero, quod hoc agmen suo genere unicum sit, propheta colligi vult, id divinitus missum esse; ad hunc scilicet finem, ut aliquid divinitus, Deo ipso auctore, missum factumve agnosci et intelligi debeat, illa loquendi ratio: „quae nec unquam fuit, nec futurum erit", subiungi solet; si quid ita praeter omnem

consuetudinem omnemque naturae legem accidit, ut nec unquam fuerit nec futurum sit, mens humana potest, immo debeat colligere, id utique, deo auctore, accidisse. cf. I, 2. 2 Mos. 10, 14. (9, 18.) 11, 6. Jes. 7, 17. Haec vero contra iudaicos interpretes monita sunt, qui illâ loquendi formulâ, quae eadem de locustis aegyptiis 2 Mos. 10, 14. adhibeatur, offensi, eam mere hyperbolicam declarabant[1]. כשחר וגו' verba, quamvis accentus vetare videatur, ad עם רב ועצום referuntur; comparationis cardo in voce פרוש vertitur: eâdem quasi celeritate, quâ auroră, locustae super montes diffunduntur; namque propheta ex Hierosolymis locustas super montes, qui ab orientali urbis parte siti sunt, advolantes prospiciebat cf. v. 5. Inde etiam appareat, cur propheta in ipsam hanc [de aurora sumptam] imaginem inciderit, praesertim quum locustae ob solis radios ipsarum agmine fractos repercussosve splendorem luridum et aurorae consimilem efficere dicantur. Ceteroquin cf. Hos. 6, 3. היה niph. = fieri, γίγνεσθαι. יוסף sc. לִהְיוֹת. Versu 3. ille populus deinceps exercitus hostilis describitur. עדן hortus Edeniticus, regio et amoenitate et ubertate insignis (1 Mos. 13, 10. Jes. 51, 3. Hez. 36, 34. 35.) de מדבר cf. 1, 19. 20. cum שממה = desertum vastitatis = vasta solitudo. וגם וגו' = „non est evasio ei [= locustarum exercitui] = nihil eum effugere potest“. Ita etiam veteres commentatores haec verba intelligebant, cf. Aben Esra: אין דבר שנמלט ממנו „nihil est, quod evasit [vel possit evadere] ei“. Itemque veterum versionum auctores, praeterquam quod ea malebant personaliter accipere: LXX. *καὶ ἀνασωζόμενος οὐκ ἔςαι αὐτῷ* Vulg. Lat. nec est, qui effugiat eum. ar. وليس من ينجو, Syr. ܘܡܦܠܛ ܕܡܦܠܛ ܘܠܐ ܡܢܗ. Ab hoc sensu recentiore demum tempore unus alterque interpres aberravit: Hitzigius loco 2 Sam. 15, 14. seductus pronomen לו ad ארץ referendum opinabatur; Ewaldus, qui v. n. reddebat: „auch Verschonung hatte er nicht“, illud pronomen ad נהיה vel יום retulisse videtur. Vss. 4. 5. celeritas et strepitus agminis: v. 4. qualis equorum est aspectus eius = eius impetus tam celer est, quam equitatus

---

1) Cf. Pocock. ad h. l. כלה מבאלגאת פי אללפט = مبالغات في اللفظ كلّه.

incursio; comparationis cardo in progrediendi celeritate (ירוץ) vertitur. Interpretes, qui in singulorum verborum significatione inhaerescebant, voce מראה corpoream quandam similitudinem subintelligi opinabantur[1]); ad eandem opinionem Hitzigius recentiore tempore relapsus est: „der Prophet beschreibt zuerst ihr Aussehen; die Heupferde sind ähnlich den Pferden“.

פרשׁ equus, eques (فَرَس, فَارِس); etiam strepitus (v. 5.) talis est, qualis exsisteret, si cursus bellici super montes convolverentur. Verbum רקד de curribus bellicis usurpatur, qui suam propter celeritatem et orbitae iniquitatem „subsultim“ decurrant cf. Nach. 3, 2. l. n. idem verbum de tumultuoso locustarum motu adhibetur. Verba „super capita montium“ quodammodo et ad cursus et locustas referenda sunt; propheta dicturus est: locustarum, quae montes transvolant, adventu tam magnus strepitus efficitur, ut quis credat, currus bellicos super montes advolvi (cf. *καὶ ἡ φωνὴ τῶν πτερύγων αὐτῶν (ἀκρίδων) ὡς φωνὴ ἁρμάτων, ἵππων πολλῶν τρεχόντων εἰς πόλεμον* Apcl. 9, 9.) item hicce strepitus talis est, qualis flammarum stipulas comedentium stridor esse solet; erat nempe mos bellicus agros incendio vastare cf. v. 3.; omnino — ut verbo dicat — hic est tumultus, quem exercitus numerosus et ad proelium accinctus edere solet. V. 6. „prae terrore trepidantes refugiunt populi“. חיל proprie de parturienti femina[2]). עמים generatim = homines, *λαοί*. Loquendi formula: „quaeque facies ruborem colligit“, diverso sensu intelligitur aut *α*) = quaeque facies expallescit; aut *β*) = quaeque facies excandescit. Illum intellectum prae aliis Hitzigius et quidem propter consimiles, ut ait, locos 2, 10. et 4, 15. commendat; ideoque vocem פארור de nativo faciei colore rubicundo [dem frischen, schönen

---

1) Hanc vero quam maxime in capitis forma cernebant: cf. Theodor. in h. l. *εἴ τις ἀκριβῶς κατίδοι τὴν κεφαλὴν τῆς ἀκρίδος, σφόδρα τῇ τοῦ ἵππου ἐοικυῖαν εὑρήσει.* Huc etiam verba redeunt, quae in Apcl. 9, 7. leguntur: *καὶ τὰ ὁμοιώματα τῶν ἀκρίδων ὅμοια ἵπποις* etc.

2) Parturientis imago, quae Joelis animo obversata esse videtur, posteriori tempore plenius exornabatur, cf. Jes. 13, 8. hinc etiam illi „dolores partus“ in eschatologia christiana suam lucem recipiunt. cf. Matth. 24, 8. *πάντα δὲ ταῦτα ἀρχὴ ὠδίνων.*

Roth der Wangen] intelligit. Sed haec fere contra Hitzigium monenda videantur: si revera sensus esset: quaeque facies suum colorem amittit = expallescit, in פארור voce pronomen poss. vel certe articulus aegre desideraretur; id quod ipsi illi, quos consimiles aiebat, loci (2, 10. 4, 15.) ostendunt. Deinde omnino negandum est, פארור voce nativum humanae faciei colorem denotari[1]). פארור = ardor, Glühröthe cf. فَارَ aestuavit, efferbuit, فَوْرَةٌ fervor caloris. gr. § 157. a. Huc accedit, quod illis locis (2, 10. 4, 15.) verbum אסף usurpatur; hoc autem non plane eundem, quem verb. קבץ, sensum exhibere videatur; illud etiam signif. „sumere, auferre, tollere, cf. Jes. 4, 1. 1 Mos. 30, 23. at vero verb. קבץ genuinam colligendi notionem usque retinet cf. Meier. in h. l. Neque non ex loco Jes. 13, 8. qui ad versum nostrum expressus est, Joelem apparet dicturum fuisse: „quaeque facies excandescit“[2]). Vss. 7—10. militaris locustarum ordo atque incessus earumque opera bellica, v. 7. „ut heroes incedunt, ut viri bellatores ascendunt moenia“; earum incessus nulla vi vel impedimento inhibetur = fit rectâ viâ. איש quisque collect. singuli quique v. 8. quem ordinem in adventando exhibent, eundem inter proeliandum retinent. Dictio eleganter variatur: גבור< גבר< איש< אח; דרך< ארח< מסלה, de versione intrpp. LXX. cf. commentt. critt. meas pag. 14. etc. Verba ובעד וגו' plerumque intelliguntur: missilibus (armis) vulnerati, necati, cadunt. Nimirum qui verb. נפל significatu „in proelio cadendi“ accipiunt (1 Sam. 51, 1. 2 Sam. 1, 4. Ps. 78, 64.), instrumentalem potestatem praepositioni בעד vindicare coguntur. Sed vero verb. נפל insuper denotat, „irruere, se praecipitare, se coniicere in aliquid“. (cf. 1 Sam. 31, 4. 5. 1 Chron. 10, 4. Jos. 11, 7. Jud. 7, 12.) בעד h. l. = per (cf. 2 Sam. 20, 21). Sensus est: ruunt, se praecipitant per arma (media per arma.) שלח h. l. non tam

1) Dico illum ruborem nativum, quem Syri et Chaldaei voce ܙܝܘܐ זיו denotant. cf. Dan. 5, 6. 9. זיוהי שנין עלוהי = eius color se mutavit super eo [eius facie] = expalluit.

2) Quo modo auctores versionum vett. haec verba intellexerint, vide sis Animadversiones critt.

missile, iaculum, quam arma, gladii. יבצעו vetustiores itrpp. „non vulnerantur“; בצע pro פצע habuisse videntur. Recentiores: „non abrumpunt viam, cursum“, vocem דרך s. ארח subintelligentes. Rectius hoc verbum sensu intr. et pass. accipitur: „non conficiuntur“; quamquam se media inter arma praecipitant, tamen non franguntur, conficiuntur. Eodem sensu שׁבר et كَسَرَ usurpatur. cf. Credn. ad h. l. Quocirca non male LXX: *οὐ μὴ συντελεσθῶσι*. v. 9. expugnatione facta urbem petunt et velut milites victores praedae inhiantes ad direptionem se coniiciunt. שׁקק (שׁוק) currere ad aliquid; cupide, ardenter aliquid appetere (Jes. 29, 8. Prov. 28, 15.); hinc תשׁוקה l. n. et Jes. 33, 4. de milite praedam sectante; שׁ' ב = in urbem currere, non ut Hitzigius aliique = in urbe discurrere, in urbe ultro citroque cursitare; non male LXX. *τῆς πόλεως ἐπιλήψονται* et qui hos sequuntur Arabs: المدينة ياخذون itemque Syrus: ܫܘܪ̈ܐ ܕܒ̈ܬܐ ܠܐ ܗܘ̣ חומה non moenia urbis sicuti v. 7. sed muri aedificiorum חלון foramen cancellis, clathris (אשׁנב) septum. Vss. 10 et 11. hoc locustarum agmen revera coelestem Jehovae exercitum esse, non solum militaris ordo, incessus, opera bellica ostendunt, sed etiam res miraculosae, quae eius adventum praenunciaverant. Scilicet earum adventum solis defectio, terrae motus atque tempestas cum tonitru antecesserant. Haec enim phaenomena ab Joele tamquam portenta, prodigia adventantis Jehovae exercitus significantur. Motum coeli et terrae quasi trepidationem, tremorem angore effectum explicat; solis defectio, lunae stellarumque obscuratio est quidam quasi pallor metu vel maerore effectus; tonitrua sunt vox imperatoria Jehovae suum exercitum ducentis. Hae res ad cascam illam Hebraeorum opinionem describuntur, ex qua Jehova tamquam Mars Ultor (5 Mos. 32, 41—43. 2 Mos. 15, 3) inter tempestatem, tonitrua, terrae motum (Jes. 13, 10. 13. Nah. 1, 5.) cum exercitu suo ad hostes perdendos in terram descendat. Tempus perfect. adhibetur: nimirum de rebus iamiam praeteritis agitur = quae locustarum adventum praecesserant; in vss. antecc. ad significandas res praesentes vel proxime instantes tempus impf. usurpabatur. Sol una cum luna stellisque obscuratus est; ea

nox, quae ex solis defectione inter diem exstiterat, omnino obscura erat; non erat ut aliae noctes, in quibus luna stellaeve nonnihil claritatis spargunt. Versu 11. propheta aliquam orationis suae partem absolvit, dico argumentationem, qua Jehudaeis persuadet, proeliarem Jehovae diem ipsis proxime instare. Haec vero argumentatio, quae a terrae vastatione locustis facta proficiscitur, bimembris est: capite I. illa vastatio talis tantaque describitur, qualis quantaque nonnisi Jehovam possit auctorem habere; capitis II versibus 1—11. ostenditur, illud locustarum agmen non forte fortuna terrae adactum esse, sed revera esse hostilem exercitum ab Jehova missum. Huius argumentationis summam verbis complectitur: profecto valde magna sunt Jehovae castra etc. Particulae כִּי h. l. non causales, sed confirmativae = certo, profecto. Vss. 12—18. Iam vero Jehudaeis, qui ab Jehovae sacris defecerant vel defecturi erant (cf. Prolgg.), persuasum est, terrae vastitatem ab Jehova factam, locustarum agmen esse Jehovae exercitum, omnino perditionis diem (יוֹם יְהוָה) adventare. Ad averruncandum Jehovae diem nihil aliud relinquitur, quam ut ad Jehovae sacra revertantur. Monet igitur, ut eos ritus cerimoniasque agant, quae Jehovae religionibus propriae sint ipsorumque fidem, venerationem, poenitentiam ostendant. V. 12. וגם־עתה etiam hoc temporis momento est Jehovae dictum. (עַד, בְּ, לְ, אֶל) שׁוּב de reditu, conversione eorum, qui ab Jehova defecerunt (יִסְּבּוּ פְנֵיהֶם מִמִּשְׁכַּן יְיָ, יִתְּנוּ־עֹרֶף 2 Chr. 29, 6) cf. 2 Chr. 30, 9. Am. 4, 6. Hos. 12, 7. etiam de paganorum accessu ad Jehovae religionem Ps. 22, 28. Jes. 19, 22. עָדַי = usque ad me, omnino ad me; eorum ad Jehovam reditus fieri debet toto animo, non diviso inter Jehovam et alios deos (הַסְּעִפִּים פֹּסְחִים עַל־שְׁתֵּי 1 Reg. 18, 21. 5 Mos. 10, 12. 11, 13. 14); ieiunium, fletus, lamentatio = ritus sacri, cerimoniae rite constitutae (Jes. 22, 12) h. l. sunt conversionis indicia. Vss. 13. 14. propheta illud effatum, quo Jehova ad conversionem invitat, suis verbis illustrat: ne peragendis solum cerimoniis sategisse sibi videantur; animos dolore ob peccata scissos verae conversionis indicia esse (cf. 5 Mos. 10, 16) חַנּוּן et רַחוּם plenum, refertum esse gratiâ, misericordiâ. אֶרֶךְ א' μακρόθυμος, tardus ad iram. נחם (نَحَمَ) 1) anhelavit, graviter spiritum duxit. 2) reflex. niph. hithp. gemuit, doluit, aliquem

alicuius rei poenituit. 3) piel. consolatus est[1]. ונחם in aliis editt. וְנִחָם scribitur, in aliis וְנִחַם; si ונחם h. l. participium esset, hic sensus exsisteret: Jehovam malorum, quae paraturus est, poenitet; Jehovae igitur qualitas vindicaretur, quae non potest in eum cadere; neque vero alibi tale quid de eo praedicatur (cf. Ps. 103, 8. 145, 8. 86, 15. 2 Mos. 34, 6); non dubitamus formam ונחם pro perfect. cum Vav. consect. habere = ita ut eum calamitatis poeniteat, cf. Jon. 3, 10. 2 Mos. 32, 14. 12. Am. 7, 3. Quid quod ne opus quidem est, וְנִחַם scribere, quandoquidem vocalis — apud accentum „tifcha“ hic illic producitur (cf. Hos. 6, 1. Am. 3, 8). V. 14. מי יודע quis est sciens? formula, quae spei dubiove exprimendo inservit = אולי forsitan. Jon. 3, 9. qui locus ad nostrum pariterque ad locum 2 Mos. 32, 10—15 expressus est (2 Sam. 12, 22). Propheta nolit Jehudaeis quicquam certi de ipsorum salute dicere, sed — ut cum Grotio loquamur — spem metu miscet, ne aut securitatem foveat, aut desperatione veniae eos in luto relinquat. Verb. שׁוּב multi interpretes non significatu verbali „redeundi“ sed adverbiali „iterum“ accipiunt. Sed commode intelligitur de reditu Jehovae, qui cum exercitu suo ad Jehudaeos perdendos iam ad terram descendisse credebatur; etiam voce אחריו ostenditur, de Jehova redituro verba fieri. „Forsitan eum poenitet“, cuiusnam rei? mali Jehudaeis iamiam immissi, frumentorum stragis, interpretes falso respondent. Minime, eum consilii Jehudaeos perdere poenitet (2 Mos. 32, 12. להרג אתם; ולכלתם מעל פני האדמה); deum poenitet stragis, quam inter Jehudaeos facturus erat; ex terrae vastitate et frumenti clade vates collegerat, Jehovam ad terram descendisse, Jehovae diem Jehudaeis adventare. ברכה de frugibus (1 Mos. 49, 25) השאיר וגו׳ falso Hitzigius: Jehovam ab agrorum vastatione prius destiturum esse, quam omnes omnino fruges perditae sint, ita ut earum reliquiis sacra fieri possint. Hunc sensum verbis non inesse inde intelligitur, quod agri cap. I iam ita vastati commemorantur, ut sacra debita non amplius fieri potuerint. Illa verba potius dicere volunt, Je-

---

1) Analogiam praebet sanscr. श्वस 1) spirare, suspirare, gemere. cum आ = respirare, se colligere. Caus. 2) facere, ut quis respiret, animum recipiat, alicuius animum firmare, consolari.

hovam redeuntem agros laeto incremento beaturum esse. Ut antea ex frugum penuria, quae ad cultum divinum necessariae erant, colligendum fuit, Jehovam Jehudaeis succensere, ita earum abandantia indicio erit, illum cum his in gratiam rediisse; voci Jehovae significanter subiungitur: „vestro deo.“

Postquam Jehudaeorum animis laetam spem instillavit nec non ipsorum salutem in una ad Jehovam conversione positam esse iis persuasit, vss. 15—18. oratio ad sacerdotes sese convertit cum adhortatione, ut cunctos Jehudaeos ad supplicationem Hierosolyma cogant. Vss. 15. 16. תקעו וגו׳ i. e. ad convocandum coetum (4 Mos. 10, 7); est itaque hic tubarum sonitus plane diversus ab eo, qui v. 1. edatur: nimirum hic Jehudaeos in templum convocat, ille adventum exercitus hostilis significaturus erat. עצרה concio solennis in templo (3 Mos. 23, 36) עוללים parvuli (cf. ܥܘܠܐ redit forsitan ad غال, עול, עיל) חדר h. l. cubiculum nuptiale. חפה locus obtectus, separatus (חפף texit. cf. קבה 4 Mos. 25, 8.) cubile, h. l. thalamus (= حجلة) LXX. *παϛός*. novos coniuges nominatim adhortatur: his enim per legem mosaicam licebat unum annum a quovis munere publico vacare 5 Mos. 24, 5. „qui novam coniugem duxit, is cum exercitu non proficiscetur nec quicquam muneris ei iniungetur, liber et immunis (נקי) unum annum suae domi erit et cum coniuge laetitia perfruetur.“ Universus populus in templo repraesentari debet; idcirco etiam infantes et qui ubera sugunt, huic coetui intersint (2 Chr. 20, 13). Versus 17 hucusque ita intelligebatur, ut ad admonitionem pertineret, quam propheta a v. 15. ad sacerdotes direxerat = „fleant sacerdotes et dicant“ (= Iussiv.). Hitzigius sibimet persuadet, haec verba ad illam admonitionem non iam pertinere: ita interpretatur: „flent sacerdotes et dicunt“ (Indicat.). Argumenta, quibus interpretationem suam tuetur, sunt haec: *α*) diversitas personae: „scriptorem scilicet in admonendis sacerdotibus vss. 15 et 16 personâ secundâ v. 17. pers. tertiâ usurum fuisse; si „modus“ orationis idem esset, talem personae vicissitudinem inconcinnam futuram esse.“ At vero monendum est, orationem iam in v. 16 a secunda persona ad tertiam (cf. יצא) transiisse; quapropter haec eadem persona etiam in versu 17 haud inconcinne re-

tinetur. β) versus 18: „inde enim, quod hocce versu Jehova iam commiseratus esse dicatur, colligendum ait, in versu 17 non de sacerdotibus, qui lacrimare et precari iubeantur, sed de sacerdotibus lacrimabundis, precabundis sermonem esse“; hac de re adeo sibi persuasum habet, ut contendat, versum 18, interpretatione „Jussivi“ in v. 17. admissâ, sine sensu futurum esse. Hoc autem argumentum nullius ponderis esse, ea ostendunt, quae ad versum 18. monebuntur. γ) peculiaris mentio loci, quo sacerdotes flere et precari iuberentur: „quum enim spatium inter vestibulum et altare interiectum locus ministerii sacerdotum proprius et consuetus esset, mirum — ut iure ait — videretur, si propheta sacerdotes peculiariter moniturus esset, ut ipso loco suo lacrimabundi precarentur; sin vero verba יאמרו et יבכו modo Indicativi accipiantur, illam peculiarem loci mentionem non offendere“. Sed haec quidem Hitzigius. Spatium inter vestibulum et altare interiectum ille locus fuit, qui vel consuetudine vel etiam lege aliqua ministerio sacerdotum constitutus erat (2 Chr. 5, 11—13. 7, 7. Ezech. 8, 16); si igitur propheta sacerdotes, ut hoc loco suo preces fundant, monet, huic monitioni certa quaedam causa subsit, necesse est; haec vero causa ex conditione illius temporis, quo vaticinabatur, repetenda est (cf. Prolgg. de Joelis aetate). Illo enim tempore Jehudaei ad alios deos defecerant vel defecturi erant; forsitan sacerdotes aliis locis, quam eo, qui lege sancitus erat, numen colere aut volebant aut cogebantur. Et etiam illud ministerium, quo sacerdotes vestibulum interque altare fungi debebant, aliquamdiu neglectum esse, ex loco 2 Chr. 15, 8. intelligitur (cf. Prolgg.). Iam vero patet, quid prophetae monitio sibi velit. Templum Salomonis, quod figurâ quadratâ et oblongâ erat, duo atria (2 Reg. 21, 5.) habuit: החצר הפנימית 1 Reg. 6, 36 et החצר החיצונה Ezech. 10, 5. Templum ipsum [היכל יהוה s. הבית] ὁ ναός in partes divisum erat duas, quarum prior קדש sanctuarium, היכל quoque, posterior קדש הקדשים, דביר adytum nominatur. In atrium exterius, quod etiam חצר הגדולה 1 Reg. 7, 12. appellatur, laicorum multitudo convenire solebat; interius non nisi sacerdotibus intrare licuit. Quo in atrio interiori altare holocaustorum מזבח העלה exstructum erat; huius atrii interioris spatium inter altare holocausticum et sanctuarium interiectum

κατ' ἐξοχήν nomine עולם significatur[1]). Hoc vestibulum (אולם 1 Reg. 6, 3.) viginti cubita longum, decem cubita latum fuisse traditur; de eius altitudine in Regum libro nihil commemoratur, at vero 2 Chr. 3, 4 centum et viginti cubita altum fuisse dicitur; si hoc verum est, — quod etiam Josephus (Antqq. 8, 3. § 2) testatur — אולם porticus quaedam ad turris instar exstructa esse videtur: in hac porticu sacerdotes statum suum ita tuebantur, ut altare holocaustorum a tergo haberent et cum facie ad sanctuarii ianuam conversi essent. cf. Ezech. 8, 16. חוס c. על alicuius misereri, alicui parcere. Jehudaei sunt Jehovae peculium: ex eorum calamitate vel perditione istae gentes, quae alium deum colunt, suo scilicet iure colligerent, illius peculii dominum aut plane nullum esse, aut — si ullus esset — vel negligentem vel parum firmum esse. Quocirca Jehova ne sirit, ut istae gentes de Jehudaeis parabolam, adagium sumant = ut facete dictis iis illudant; ubi primum Jehudaeos miseriis afflictos viderunt, eorum deum nauci habebunt, Jehova, murmurantes, non potis est, suos asseclas a pernicie defendere; iocularem in modum rogitabunt, ubinam versetur iste Jehova, ubinam sit iste deus tutelaris, qui suum sibi peculium non tueatur. מָשַׁל de aliquo adagium sumere, proverbium, carmen ludicrum in aliquem cudere, facete dictis vexare. Voce גוים et עמים gentes finitimas, prae reliquis Philistaeos, Edomitas, Aegyptios intelligi ex cap. IV. apparebit. Vss. 18—27 exponunt, qualem effectum sacerdotum precatio habitura sit: locustarum agmen per Jehovam abactum iri, terram largo proventu gavisuram, Jehudaeos Jehovam reperturos esse, qui revera sit ipsorum numen praesens et tutelare. In vss. 18 et 19. imperfecta cum Vav conversivo: ויקנא, ויחמל etc. difficultatem attulerunt: alii interpretes ea de tempore praeterito intelligunt, alii de futuro. Veteres translatores ea tempore praeterito expresserunt: LXX. *καὶ ἐζήλωσε . . . καὶ ἐφείσατο.* Syr. ܘܛܢ, ܘܚܣ Ar. وغَارَ, وشفق Vulg. zelatus est, pepercit etc., at vero commentatores et vetustiores et recen-

---

1) אולם a verbo אול, آلَ, أَوَلَ praecessit, anterior fuit; cf. partic. advers. אוּלָם = „contra, at;" item أوّل = „primus".

tiores ea plerumque de tempore futuro intellexerunt. Illa ipfcta cum Vav conv. tempus praeteritum significare, certum est indubitatumque; sed quominus de tempore praeterito intelligantur, contextus orationis prohibere videatur: scilicet quum Jehova versibus, qui antecedunt, Jehudaeos ad poenitentiam, ieiunium, precationem adhortetur, non liquet, qua ratione hocce versu iam miseritus esse dicatur. Ut hanc difficultatem removerent, alii aliam viam ingressi sunt: Livelius, vir doctissimus, versus nostros cum praegressis ita coniungere volebat, ut statueret, prophetam silentio praeteriisse, ieiunium, precationem etc. peracta esse: alii, ut ait, loci reperiantur, quibus talis rerum reticentia occurrat; exempli loco lectorem ad Jes. 7, 3. delegat. Crednerus autumabat, versus 18. 19. mentionem quandam historicam continere, quam propheta tum demum, quum vaticinium literis mandaret, orationi suae intexuisset; hoc nempe tempore illa, ad quae peragenda adhortatus esset, iam peracta fuisse. Consimilis interpretandi ratio Ewaldo arridebat, qui sibimet persuaserat, hoc vaticinium ex duabus constare orationibus (c. I—II, 17 et II, 18 — IV, 21), quae diverso tempore a propheta habitae essent. Posteriorem orationem (II, 18—IV, 21) tum demum habitam esse, quum illa supplicatio, ad quam prior (I—II, 17) invitaverat, peracta fuisset; nostros autem versus (18. 19.), qui Jehudaeos ab Jehova exauditos esse dicerent, orationis posterioris ad priorem annectendae gratia interpositos esse. Haec Ewaldi interpretatio in praepostera vaticinii descriptione posita est. Hitzigius hunc scopulum, ad quem ita multos iam allisos viderat, suâ versus 17 interpretatione feliciter praetervectus esse sibi videbatur (cf. quae ad versum 17 monita sunt.).

Quum igitur illa iprfcta cum Vav conv. tempus praeteritum significent, orationis contextus autem, quominus de hoc tempore intelligantur, prohibeat, haec una explicandi ratio relinquitur, ut statuamus, illa iprff. cum Vav conv. velle res futuras tamquam praeteritas denotare. Adeo propheta sibi persuasit, Jehudaeorum preces exauditum iri, ut eas diceret iam exauditas; est etiam prophetarum in visionibus res futuras tamquam praeteritas intueri. Idcirco Versio latina illa iprfcta tempore et futuro et praeterito i. e. futuro exacto expressit: zelotypus fuerit, pepercerit etc. קנא α) zelotypiâ

laboravit in coniugem (cf. غار). Jehova ipse populo suo deum zelotypum (אֵל קַנָּא) se manifestavit (2 Mos. 20, 5. 34, 14); zelotypus = est eius nomen (5 Mos. 4, 24). β) studio alicuius affici; cum ל = suum studium et amorem alicui obvertere; cum ב alicui invidere (4 Mos. 25, 11). Vs. 19. earum frugum, quae (1, 10) deperditae dicebantur, affluentiam Jehova promittit. Vs. 20. צפוני nom. adict. (a צפון, terminatio î ar. ىّ, originem, patriam, locum natalem denotat); propheta non dicturus fuit, locustas ex septentrione adventasse, sed potius eas de septentrione oriundas, septentrionis incolas esse. Iam vero quaeritur, qualis sit opinio religiosa, quam antiquitas orientalis de septentrione habuerit? Ex quo Jehovae religio invalescebat, septentrio Hebraeis quidem regio nefasta, inauspicata, calamitosa esse occepit. Ex hac coeli plaga horrifer boreas tempestates, grandines, gelidas nives moliebatur; regio ad septem stellas posita turbinis, procellarum, typhonis aliarumque, quas natura orientalis gignere solet, calamitatum locus natalis existimabatur. Sed hac de re conferantur, quae in Commentt. critt. pag. 9. monita sunt. Perniciosarum naturae potestatum, quascunque tristis ille septentrio condebat, summus dominus atque rector Jehova erat: iis utebatur ministris, vindicibus, ultoribus; Jehovae milites, Jehovae exercitus more solito appellantur. Hinc autem apparet, quo sensu propheta locustarum agmen צפוני denotaverit, dico propheta, qui id consilii sequebatur, ut Jehudaeis persuaderet, illas locustas non fortunae temeritate ipsorum terrae illatas esse, sed Jehovae iussu et ductu adventasse, quin immo eius milites, eius heroes, eius exercitum esse, cf. IV, 11 Huic locustarum exercitui foedam cladem Jehova illaturus est: medium agmen extra Jehudaeorum fines in loca deserta proiciet; פניו = agmen primum in mare orientale [mortuum]; סופו = agmen extremum in mare posterius [occidentale, mediterraneum] compellet. Hac in re propheta illius cladis, quam Jehova aegyptiis locustis paravit (2 Mos. 10, 16—20), meminisse videtur. באשו eius foetor ascendet, sc. ex cadaveribus, quae ad litora reiciuntur ibique acervatim putrescunt. Propheta illius rei, quae 2 Mos. 8, 10 narratur, fortasse memor fuit; etiam fieri potuit, ut vellet militum occisorum imaginem ex-

primere, cf. Jes. 34, 3. De locustarum interitu cf. Oros. 5, 11. Plin. h. n. 11, 29. צחנה vox non nisi h l. legitur; odor foetidus (cf. Lexic.) Versio arab. زنخه LXX. ὁ βρῶμος αὐτοῦ[1]. ותעל = Iussiv. = ascendat. הגדיל ל־ dicendi formula, quae de Jehova miraculose agenti usurpari solet (cf. Ps. 126, 2. 3. etc.), hoc tamen loco non de Jehova — ut quidam autumabant — sed locustis usurpatur: si modo de Jehova intelligenda esset, τὸ subiectum (יהוה) deesse non debuit; etenim magna i. e. magnam vastationem perfecit. Mirum videtur, quod vastitas a locustis facta tamquam causa perditionis earum significatur: locustae scilicet nihil, nisi id fecerunt, quod ab Jehova ipso iussae erant. Quam ob rem hic ille interpres v. n. intelligebat: locustas vastitatem nimiam, iusto maiorem fecisse. Sed vera et propria causa in vss. antecc. iam allata est: propter poenitentiam, preces, resipiscentiam Jehudaeorum Jehova ad locustas abigendas et perdendas adductus est. Dicendi formulam הגדיל ל־, quae eadem in versu sequenti iteratur, propheta hunc ad finem inseruisse videatur, ut ludum verborum instituere posset: nimirum de locustarum agmine adhibita significat = magnam vastationem perfecit; de Jehova (v. 21.): = magnifice, miraculose fecit. Adeo Joelis ingenium lusu verborum delectatur.

Sed hoc quidem Jehovae responsum. Propheta gaudio elatus eosdem, quos ad maerorem luctumque exhortatus erat, versibus 21—25 ad hilaritatem et laetitiam invitat et primum quidem versu 21. Jehudaeam, illam virginem lugentem (1, 8.). הגדיל ל־ idem fere atque הפליא לעשות (Jud. 13, 19. Joel. 2, 26.). Vs. 22. cf. 1, 18. 19. נשא פריו aliis locis עשה פ׳ (1 Mos. 1, 11. 12. Jes. 5, 2. cf. Hesek. 17, 8. 34, 27. 36, 8.). חיל arboris vis vitalis et genitalis, poetice pro fructibus; pariter כֹּחַ de frugibus agrorum (1 Mos. 4, 12. Hiob. 31, 39.). ficus et vitis suos fructus praebent (cf. 1, 7.). Vs. 23. Jehudaei, illi בני אדם (1, 12.), a quibus laetitia discessit, ad hilaritatem et laetos clamores vocantur. Ssijonitae Jehovae cultores significanter appellantur. De particula וְ verbis exclamatoriis praemissa cf. gr. § 340. c. ביהוה de praep. ב cum verbis lactandi, iubilandi, credendi, confidendi coniuncta cf. gr. § 217.

1) Ita enim pro βρόμος αὐτοῦ legendum est.

2. De iis, quae relicua sunt, commentt. critt. p. 16. conferantur; hoc loco nihil nisi haec: מוֹרֶה [= partcp. hiph.], alia forma יוֹרֶה [partcp. kal.] a verbo יָרָה; et Kal et Hiph. significatum aspergendi, humectandi habent; itaque etiam participiorum significationes eaedem sunt: utraque forma aspergentem, humectantem = pluviam auctumnalem denotat; pluvia auctumnalis s. matura a medio octobri [יֶרַח הָאֵתָנִים 1 Reg. 8, 2.] ad medium decembrem cadebat. לצדקה = secundum id, quod iustum, quod rectum est: tantum pluviae, quantum sufficit; ut nihil desit, quod opus est, ut nihil abundet, nam utrumque frugibus nocet; idcirco vocabula המורה ל׳ de iusta pluviae auctumnalis quantitate intelligi volunt. מלקוש pluvia verna s. serotina, quae ab extremo februario ad novilunium aprilis cadebat. גשם denotat pluviam in genere, cuius species מורה et מלקוש sunt. De vocis בראשון sensu commentatores alter ab altero dissentiunt. LXX. καθὼς ἔμπροσθεν. Vulg. sicut in principio, ar. كما من قبل syr. ܐܝܟ ܕܡܢ ܠܩܘܕܡܝܐ si autem hic sensus fuisset, propheta בראשין כַּאֲשֶׁר vel כְּבָרִאשֹׁנָה (Jud. 20, 32. 2 Sam. 7, 10) scribere debebat; sin vero dicturus erat: ab initio (von Anbeginn), ut alii voluerunt, בָּרִאשֹׁנָה (Zach. 12, 7. 1 Reg. 20, 17. 4 Mos. 10, 13. 14. 5 Mos. 13, 10.) scribendum erat. Chaldaeus vocem חֹדֶשׁ subintelligens interpretatus est: „primo mense“. Haec interpretatio magnopere arridebat, nam alii loci laudantur, in quibus vox חדש vere subintelligenda est (v. c. Zach. 8, 19); ex locis 2 Mos. 12, 18. 4 Mos. 9, 5. Ez. 30, 20 apparet, vocem בראשון reapse „primo mense“ significare. Quod quidem ad מורה attinet, haec interpretatio utique quadraret, quandoquidem pluvia auctumnalis Octobri mense ingruebat, qui praeter Nisân (Aprilem) item primus mensis et erat et insigniebatur [1]; quod vero ad מלקוש attinet, omnino non quadrat: scilicet aprilis tempus esset, quod adventui pluviae vernae parum conveniret: aprili mense fruges ad maturitatem perveniebant; sub finem huius mensis, peracto Pesach festo, messis קציר fieri solebat; pluvia verna, quae aprili mense ingrueret, in tempus messi faciendae destinatum incideret; hoc autem perquam

1) Quid quod October adeo pro „mense primo“ habebatur, ut ab eo annus hebraeus initium caperet. cf. Commentt. critt. l. l.

noxium erat atque pro magna calamitate habebatur (Prov. 26, 1. 1 Sam. 12, 17. Verg. Ecl. „triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres.“). Itaque interpretationem „primo mense“ Rabbi Tanchumus, qui coeli palaestinensis usu peritus erat, iure absurdum declaravit. Nostro quidem loco בָּרִאשׁוֹן vox poetice vult idem fere dicere atque alias in eadem locutione vox בְּעִתּוֹ „suo tempore“ (cf. 5 Mos. 11, 14. 28, 12. Jer. 5, 24.). Quodsi liceret, aliquam voculam subintelligere, haec non alia esse posset, quam pronomen ו = in suo primo = primo tempore suo i. e. ab initio eius temporis, quo tempestiva et necessaria utraque pluvia ingruere debeat. Vss. 24. 25. efficientia imbrium, qui iustâ quantitate et suo tempore ingruunt. גֹּרֶן (جَرِين، جُرْن) locus planus et apertus = area. שׁוּק hiph. redundare. יֶקֶב cupa, = ὑπολήνιον, alveus, qui torculari (ληνῷ, גַּת) subditur ad mustum recipiendum. Olivarum pressurae mentio fit Mich. 6, 15. שִׁלֵּם Piel. integrum reddidit, compensavit, „integros vobis reddam annos“ i. e. proventum, fruges anni compensabo; annos pro anni frugibus ponere est sermonis poetici. שָׁנִים numerus plur., non quo vastatio per plures annos iterata sit; eam ad unum dumtaxat annum pertinuisse, iam inde colligitur, quod de uno tantum agmine locustarum sermo est harumque vita non sufficit, ut per plures annos noceant; auctor, qui pluralem pro sing. posuit, aut magnam frumenti vastati copiam significabat aut ad analogiam vocabulorum חַיִּים, נְעוּרִים, זְקֻנִים locuturus erat. Vox הָאַרְבֶּה h. l. locustam in genere denotat; Jéleq, Chasîl, Gazam tamquam species significantur: id scilicet inde intelligitur, quod copula ו et ante ultimam et paenultimam vocem, at non ante Jéleq posita est; vocem אַרְבֶּה a reliquis seiungi velle, etiam accentus ֔ (Zaqef) innuere videatur. V. 26. sententia ad v. 24 redit. וַאֲכַלְתֶּם verbum finitum cum infinitivo absol. eiusdem verbi coniunctum iterationem, continuitatem actionis denotat: = in edendo continui eritis; huic infinitivo per copulam ו alter infinit. verbi alius subiungi potest וְשָׂבוֹעַ; de esu cum saturatione cf. 3 Mos. 26, 5. absque saturatione ibid. v. 26, et Hagg. 1, 6. „Laudabitis nomen Jehovae“ sc. ad epulas sacrificales; auctor respicit ad 1, 9 et 16. לְהַפְלִיא infinit. constr. c. ל = ita ut . . . .; vobiscum egit ita, ut miracula

ederet; vobiscum egit mirifice: hoc miraculum cernitur in repentina immutatione regionis sterilis atque vastatae in uberem et frugiferam. ולא־יבשׁו illo miraculo Jehova quoque sui numinis specimen dedit, ex quo isti pagani (v. 17.) cognoscant, Jehovam reapse deum esse et quidem deum potentem et propitium. V. 27. „medios inter Israelitas" (cf. 3 Mos. 26, 11. 1 Reg. 6, 13.) Israelitae h. l. = Jehovae cultores ואין עוד verba ad אלהיכם referuntur = aliorum deorum nullum esse, qui vester sit deus. Sunt duo versus ultimi, quibus oratio ad Messianae, quae vocatur, aetatis descriptionem deflectitur.

Pars posterior capp. III. IV.

V. 2, 27. „et cognoscetis, me esse inter medios Israelitas memet Jehovam esse vestrum deum et praeter me nullum alium"; quid quod propheta etiam sperat, eorum conversionem talem fore, qualem aetas Messiana haud cunctanter subsequatur: scilicet ab eo tempore, quo cuncti Israelitae toto cum animo ad Jehovam se convertissent atque in eo colendo constantes fuissent, illa aetas oritura esse existimabatur. Erat autem aetas Messiana, ut verbo dicamus, illud tempus, quo Hebraeorum desideria exspectationesque, quibus antiquitus lactabantur, ad exitum perventura essent. Id vero, quod imprimis desiderabatur, erat certa atque stabilis terrae Kanaaniticae possessio. Jehova ex omnibus populis Hebraeos selegerat, quibus illam terram tamquam peculium suum daturus erat, si ipsius religionem secuturi essent. Quamquam Israelitae hanc terram melle et lacte rorantem expugnarunt inque ea considerunt, multum tamen aberat, ut in tranquilla essent eius possessione: etenim non solum reliquiae indigenarum, qui non omnino vinci vel expelli potuerant, Jehovae religionem respuebant et seditiones contra advenas machinabantur, sed externae etiam nationes iis terram ea amoenitate et fertilitate invidebant nec non eorum fines incursionibus infestabant. Ut igitur Israelitae in firmam illius terrae possessionem pervenirent, necesse erat, gentes hostiles aut ad Jehovam se converterent aut devicti exstirparentur; haec erat exspectatio et spes laeta, qua religio Mosaica Israelitas imbuebat. Illud tempus,

quo ingentem hanc rerum immutationem factum iri sperabant, est aetas, quam Messianam vocant. Hac aetate Jehova ipse gentes Israelitis infestas atroci proelio perditurus cum exercitu coelesti ad terram descendit. Si autem talis hostium strages facta esset, fore existimabant, ut omnes orbis terrarum populi ad Jehovam se converterent eiusque nomen uno omnes ore profiterentur; fore, ut dii commenticii una cum suis sacris pessum irent nec non veri dei doctrina et veneratio ad incolas totius terrae divulgaretur; fore, ut Israelitae in servitutem abducti in patriam reduces fierent; fore, ut terra Kanaanitica omnium bonorum abundantia gauderet; fore denique, ut laeta haec rerum conditio perennis sempiternaque esset, cf. 4, 17—fin. Joel propheta primus fuit, qui mente sua divino lumine illustrata plenam aetatis Messianae notionem concepit, qui eius imaginem coloribus nunquam intermorituris depinxit depictamque ut aeneum immortalitatis monumentum ante oculos posuit. De hac pictura Joelica prophetae posteriores usque ad Joannem Apocalypticum omnes, qui de aetate Messiana vaticinabantur, lineamenta, colores, pigmenta adoptarunt. Ex duobus his capitibus III et IV summa notionum ad res futuras pertinentium sicuti ex fonte vivo effluxit; hisce capitibus tamquam fundamento suo totum systema eschatologiae christianae superstructum est. Neque tamen Joel hoc sensu auctor aetatis Messianae haberi vult, quo eius ἰδέαν suopte ingenio conformaverit; propheta noster non nisi singulas, quas de hac aetate habebant, notiones in unum corpus ut singulos radios in unum solem collegit.

Quemadmodum populi, quos stirpi semiticae assignamus, id singulare sibique proprium habebant, ut scientiam rerum et humanarum et divinarum inter summas praestantias referrent et alii prae aliis suam sapientiam iactarent, ita Hebraei nihil antiquius habebant, quam ut suâ doctrinâ, suâ sapientiâ, suâ rerum futurarum praedictione reliquas gentes superarent (1 Mos. 40, 41. 1 Reg. 10. Jes. 19, 11—14 etc.). Hinc etiam eorum desiderium et spes originem duxit, fore aliquando, ut Israelitae — non solum unus alterve, sed omnes — prophetae exsisterent et universi Jehovae cultores vaticinandi facultate donarentur. Haec res loco 4 Mos. 11, 24—30 egregie illustratur: Moses nempe certior factus, duos viros in castris

esse, qui prophetarent, rogatusque, ut id ipsis interdiceret, cum gemitu respondit: „utinam Jehova spiritum suum universo populo attribueret, ita ut omnes Israelitae ad instar prophetarum loquerentur.“ Hinc vero patet, Joelem capite III nihil aliud pronunciare, quam quod iam Moses in votis habuit.

CAP. III.

V. 1. superfundam spiritum meum omni carni; idem quod apud Jes. 42, 1. meo servo i. e. populo israelitico spiritum meum superpono; ibid. 44, 3. superfundo spiritum meum semini tuo. רוּחַ A. quid corporei, ad materiam pertinentis: α) flatus, ventus (رِيحٌ), v. c. ventus aquam exsiccans 1 Mos. 8, 1. Hiob 1, 19. β) aër rerum universitatem implens, qui 1 Mos. 1, 2. ר׳ אלהים vocatur. γ) ventus furibundus, procella, turbo 2 Reg. 2, 16 ventus ardens ר׳ זלעפות Ps. 11, 6. ר׳ יהוה Jes. 40, 7; ille ventus miraculosus, qui Israelitis coturnices adduxit, item (מאת יהוה) ex Jehova profectus esse dicebatur 4 Mos. 11, 31. B. vis vitalis, fons vitae = נפש anima ר׳ חיים 1 Mos. 7, 15. vis vitalis (נשמת חיים), quae homini (1 Mos. 2, 7) et omnino cuivis animanti (Ps. 104, 29) ab Jehova inspirata est. Coh. 3, 21. 8, 8. Memorabilis locus apud Ezech. 37, 9 legitur, ubi propheta ventos ex quatuor mundi cardinibus flantes obtestari iubetur, ut corporibus exanimis animas afflent. C. animus, mens eiusque affectiones: 1 Mos. 41, 8. etc. spiritus, qualis corpori oppositus est, vis et facultas cogitandi, iudicandi. Intelligitur etiam de spiritu divino, de spiritu τῶν Elohim, Jehovae, qui spiritus divinus ad humanum transire, fluere, eique divinas facultates et virtutes tribuere potest: v. c. ei attribuit sapientiam (Hiob 32, 8), scientiam et dexteritatem artificis 2 Mos. 31, 3. 35, 31. 32, 16. scientiam militarem Jud. 6, 34. cf. Jud. 3, 10. Jes. 11, 2. verum hercle vero etiam scientiam artemque mentiendi et fallendi, qualem v. c. pseudoprophetae ab Jehova infusam habent 1 Reg. 22, 21. Jud. 9, 13. 1 Sam. 16, 14. Jes. 19, 14. 5 Mos. 28, 28; solenni tamen modo intelligitur de illo spiritu divino, qui mentem humanam rerum sacrarum cognitione imbuit, qui sincera Jehovae notione

intelligentiam humanam illustrat, qui boni, veri, pulcri sensum recreat, qui res futuras vel occultas menti reserat, qui ad meliorem vitae rationem revocat. כל־בשר non nisi ad Israelitas refertur, qui Jehovae nomen iam profitentur (Ps. 65, 3); tamen vero sententia delitescit, Jehovae spiritum etiam hominibus, qui natione Hebraei non sint, attribui posse, si modo ad Jehovae sacra se converterint (cf. Zeph. 3, 9—11. 1 Reg. 8, 60). אשׁפוך communicatio ope fusionis fieri cogitatur; apparet, in voce רוח primitivam flatus, aëris notionem non plane interiisse. Is, qui spiritum Jehovae habet, Nabî est = הרוח אישׁ = נָבִיא (Hos. 9, 7. πνευματικός = προφήτης 1 Cor. 14, 37); נִבָּא niph. et hithp. הִתְנַבֵּא formae a voce נָבִיא derivatae videntur; Kal non reperitur; vox נָבִיא ad ניב (non ad נבע) redire videatur (cf. Prov. 10, 31. نَبَأَ II. nunciavit; hinc forsitan נבע scatuit, ebullivit; cf. chald. נְבַע prolocutus est, syr. ܢܒܥ Aph. evulgavit. ar. نبع) נָבִיא is est, qui loquitur, = orator, vates (a वड loqui); solenniter is est, qui responsum dei, oraculum edit, qui prodigium, somnii visum interpretatur, dei interpres; hinc notio praedicendi, vaticinandi; noli tamen vocis ambitum hac significatione descriptum existimare; etiam significat: deo afflante vel instigante verba facere; in universum de iis usurpatur, qui divinitus moniti et edocti praecepta ad religionem moresque pertinentia tradunt; idcirco נָבִיא vox προφήτην, dei interpretem denotat (2 Mos. 7, 1) atque adeo dei amicum, familiarem, qui plena rerum divinarum cognitione imbutus legum sacrarum intellectum populo aperit hominesque ad eas observandas cohortatur. Hac mente Abrahamus et patriarchae נביאים adpellantur (1 Mos. 20, 7. Ps. 105, 5). Eodem sensu alumni scholarum propheticarum (1 Sam. 10, 5) item nominantur, quamquam in aperto est, eos ipsis prophetis, quorum munus in praedicendis rebus futuris tamquam cardine versatur, non esse accensendos; scilicet eam, quam dicimus, prophetiam nemo doceri potest. Hunc ad finem illae scholae apertae erant, ut alumni cum rerum divinarum tum eius, quae θεοκρατία vocatur, disciplinae rerum publicarum pleniore et sinceriore imbuerentur cognitione. Nostro loco illa vox de vaticinandi facultate vult intelligi. „Vestri filii filiaeque, senes iuvenesque“ = cuncti Jehudaei utriusque sexus, omnis

aetatis (כָּל־בָּשָׂר). חָזוֹן et חִזָּיוֹן visum somnii. Cum Mose, qui ἀρχιπροφήτης erat, praesenti praesens Jehova confabulabatur פָּנִים אֶל־פָּנִים 3 Mos. 34, 10. פֶּה אֶל־פֶּה 4 Mos. 12, 8.), cum reliquis non item, sed per somnia, visiones (4 Mos. 12, 6. Hiob. 33, 15, 16.). Antiquitatis populi numen divinum opinabantur somnii ac visorum ope communionem cum mente humana posse inire. Quod ad haec, quae divinitus missa sunt, somnia attinet, genus eorum duplex est: sunt vel dramatica vel symbolica: dramatica sunt, in quibus deus aut ipsemet, non personatus, aut alius personae speciem indutus, apparet nec non ea, de quibus somniantem monet, verbis significat (1 Mos. 20, 3. 6. 28, 12 sqq. 31, 24. 1 Reg. 3, 5. etc.); symbolica sunt, in quibus non deus vel aliqua persona apparet, sed visum, species, simulacrum eam rem, quae cum mente humana communicatur, allegorice expressam obtutui somniantis proponit (v. c. Jud. 7, 13 sqq.), hinc originem duxerunt loquendi rationes: somnii visum videre, aliquid in somno videre, somnium videre, dormientem aliquid in animo videre, ὄψιν ἰδεῖν. Somnia vere symbolica e. c. ea sunt, quae Josephus et Pharao viderunt. Species nocturnas, quae in prodigiorum numerum cadunt, aut is qui somniat, ipse aut somniorum coniectores interpretantur. חלום = somnium dramaticum, חזיון = symbolicum. De auctoritate somniorum loci 5 Mos. 13, 1 sqq. 4 Mos. 12, 6. Sirach. 31 (34), 2—9.

והיה אחרי־כן = ubi primum ea, quae in vss. antecc. (praesertim 2, 26. 27.) praenunciaverat, ad exitum pervenerunt. In aperto est et citra dubitationis aleam, communem hanc divini spiritus fusionem et quaecunque capp. III et IV praedicuntur, a propheta proxime instantia et dici et exspectari; quod autem haec vaticinatio aetate demum christiana suum exitum habuit, offendiculo esse non debet: in prophetarum vaticiniis externae, quales sunt loci temporisque rationes, ad rem parum faciunt. Idcirco St. Petrus, qui huius capitis argumentum de aetate christiana interpretatur, vocabula בחרי־כן (LXX. μετὰ ταῦτα) verbis ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις Act. Apost. 2, 17. reddidit. Item non miramur, quod Jehudaei posteriores et hodierni, quibus spiritus divinus adhuc non obvenit, illa verba sensu בְּאַחֲרִית הַיָּמִים [cf. Mich. 4, 1.] accipere volunt. Vs. 2. spiritus divini fusio ita communis et larga est, ut etiam

ad faecem plebeculae, servos et ancillas redundet; duplex genus servitii fuit: aut servi, qui natione Hebraei aut qui peregrini erant (5 Mos. 15, 12. 2 Mos. 21, 2. 3 Mos. 25, 44. cf. מִקְנַת־כֶּסֶף servus emtus, יְלִיד בַּיִת s. בֶּן־בַּיִתִי 1 Mos. 15, 3. etiam יְלִיד־בֵּיתִי 1 Mos. 14, 14. = verna; ii servi, qui de Abrahami semine non erant, circumcidebantur circumcisique Jehovae religionem profiteri cogebantur (1 Mos. 17, 12. 27. 2 Mos. 12, 44. שִׁפְחָה, אמה cf. 1 Sam. 25, 41. Qui ex aliis nationibus in servitutem Hebraeorum abducti erant, utpote qui rerum sacrarum parum periti essent, ceremonias ritusque magis inviti quam animo libenti et prompto peragebant; atqui Joel illud tempus canit, quo vel horum animi spiritu divino imbuantur, ita ut Jehovam deum unice verum cognoscant, ut eius religionem haud gravate profiteantur suosque mores ad eius legem componant. Simulac singuli quique Jehudaei ad eam, qua prophetae insignes erant, Jehovae cognitionem venerationemque charismate spiritus divini evecti sunt, ille dies illucescit, quo Jehova ad perdendos ipsorum hostes de coelo descendit. In Oriente haud semel factum est, ut exercitus tempestate, grandine, ventorum furore vel nubis ruptae effusione disicerentur: hinc vero opinio nata esse videatur, Jehovam, qui aëris et quae in eo accidunt, moderator erat, cum tempestatibus tamquam *Ζῆνα καταιβάτην* in terram descendere (2 Mos. 9, 22—27. Jes. 66, 15—17. Habac. c. 3. etc.). Vss. 3. 4. prodigia, *τέρατα* quae Jehovae ultoris adventum praesagiunt, partim in terra partim in coelo eduntur; quae in terra, sunt: sanguis, ignis, columnae fumiferae. De prodigio sanguinis interpretes dubii haerent: non audiendi sunt, qui id de sanguineo illo, quem inter terrae motus luna in Oriente ostendit, colore intelligunt, non audiendi dico, quum huius ipsius rei versu 4 mentio fiat. Rosenmuellerus, qui non haberet, quo id portentum ex libris hebraicis illustraret, lectorem ad Livium delegat, qui histt. l. XXII. c. 1. memoriae prodidit, ante pugnam ad Trasimenum „scuta duo sanguine sudasse“. Crednerus tria haec prodigia de cruentis cladibus oppidisque flagrantibus intellexit. Haec intelligendi ratio etiam Hitzigio probatur, qui eam locis 2 Reg. 3, 22. et Jud. 1, 8. 20, 48. 1 Sam. 30, 1. tuetur. Nihilominus in huius viri sententia non acquiescendum putarim et quidem hoc nomine, quod sanguis, ignis, fumus ex prophetae mente

res sunt, quae bellum antecedunt, prodigia, portenta, ex quibus bellum, stragem, incendia oritura esse colligendum sit [1]); deinde — rationali illa interpretatione admissa — sanguis, ignis, fumus res essent, quae plane naturaliter fierent nec quicquam monstri haberent, quamquam in aperto est, sanguinem, ignem, fumum l. n. מופתים esse i. e. res, quae naturali rerum physicarum ordini non respondent. Ille sanguis prodigiosus non potest non intelligi de maris, rivorum, scaturiginis, puteorum aquis in sanguinem conversis: miraculum, quale in Aegypto quondam editum esse narrabatur, prophetae animo obversabatur; de hoc miraculo, quod item מופת vocatur, cf. 2 Mos. 7, 14—fin. [2]). Prodigium „ignis“ non de fulgure, non de meteoris, non de phaenomenis igneis in coelo vel aëre, ut Ewaldus vult, sed cum voce תימרות־עשן coniunctum de flammis, quae ex tellure motu terrae scissâ micant et de hinc ascendenti vapore intelligi debet. Vide sis 4 Mos. 16, 30—fin. Ps. 18, 8 sqq. תימרות [תמרות] (cant. cantt. 3, 6.) poetice pro עמוך (cf. Jud. 20, 40. 2 Mos. 33, 9. 10) = atri vapores, qui hiulca tellure escendentes ceu columnae sublime feruntur. V. 4. prodigia in coelo: solis defectio et lunae color sanguineus (2 Mos. 10, 21.); hic color illis vaporibus efficitur, cf. Ovid. Met. 15, 790. „sparsi lunares sanguine cursus“. V. 5. en clausula consolatoria: „Omnis, qui nomen Jehovae profitetur“, = qui spiritu divino [v. 1. 2.] donati sunt. De Ssijon monte Hierosolymisque Jehovae domicilio cf. 1 Reg. 6, 11. etc. huc etiam spectant loci 5 Mos. 12, 11. 14, 23. 16, 6. sqq. „Hierosolymis et in Ssijon monte refugium et salus“: propheta non, ut commentatores autumant, dicturus fuit, Jehudaeos, si, hoste appropinquante in templum et montem sanctum confugissent, salvos futuros esse. Minime, nam ex

---

1) Aliter res se habet in Eschatologia St. Matthaei c. 24. ubi bella interneciva, cruenta clades, insolita sanguinis effusio iis indiciis adnumerantur, quae Christi παρουσίαν praenunciant.

2) Narratio de hoc miraculo originem a locutione quadam figurata duxisse videatur: nimirum maris, fluviorum etc. aquae, quae motibus terrae vel aliqua eruptione montis ignivomi subterraneâ turbatae colorem sanguini non absimilem ostendebant, in sanguinem conversae esse poëtice dicebantur: scilicet id quod initio poetica rei cuiusdam significatio erat, temporis decursu vera et propria denotatio habita est, cf. Ritter, Erdk. XV. 254. 99.

cap. IV apparet, Jehudaeos proeliaturos hostibus obviam procedere. Opinio, quam sibi propheta de Jehovae iudicio (יום יהוה) fingit, haec fere est: Jehudaeos opinatur eorumque hostes alios contra alios ad bellum profecturos et loco quodam congressuros esse; incepto autem proelio, fore, ut Jehova cum heroibus suis descendat et ingentem stragem faciat, qua ex trucidatione mirum in modum Jehovae cultores in templum montemque sanctum evasuros esse. Quod ad evadendi rationem attinet, incertum est, qualem sibi Joel cogitet: utrum ita ut de proelio effugiant, an — quod vero similius est — ita ut raptu per aëra Hierosolyma subducantur. Hac de re cf. 2 Chr. 6, 24—26. 5 Mos. 30, 2—6. Hos. 11, 1. Jes. 42, 6 etc. Nonnisi Jehudaei et si qui alii Jehovae cultores sunt, ex proelio revocantur [i. e. conservantur]; „quem Jehova [re]-vocaverit:“ hac loquendi ratione eum ad finem utitur, ut quidam quasi verborum ludus exsistat: „qui nomen dei [in]-vocat“; quem deus [re]vocat“ Inde quod prophetam mero verborum ludo delectari non viderant, factum est, ut multi commentatores verba אשר יי קרא de salute a deo quasi praedestinata intellecturi essent.

CAP. IV.

Praestituit Jehova diem, quo iniurias ab exteris nationibus illatas in valle Jehoshaphat ultum eat (1—4.). Praeter Tyrum et Sidonem oppida Philistaei nominatim infensi dicuntur. Pronunciat Jehova, sese cum iniuriarum auctoribus talionis iure acturum esse (4—9). Praeconibus Jehudaeorum orationem mordacem suggerit, qua hostiles nationes ad proelium in valle Jehoshaphat committendum lacessantur. Iamiam multitudo bellandi cupida in valle tumultuatur; signa in terra et coelo edita iudicii diem praemonent (9—18). Foedâ hostium strage per vallem factâ et finibus Aegyptiorum Idumaeorumque vastatis Jehova Jehudaeos beneficentiae suae testes redditurus est. Postremum renunciat, Ssijon montem perenne numinis sui fore domicilium (18—fin.). —

V. 1. ultimum hoc caput, in quo totius vaticinii cardo vertitur, cum magno orationis pondere et festiva quadam dicendi solennitate propheta aperit, utpote quae animo res ita

magnas exspectanti conveniant. כִּי־הִנֵּה = profecto ecce, ecce vero; particulae animi elationem arguunt et ad verba sqq. attendunt. בַּיָּמִים וגו׳ en orationis sublimitatem singulis verbis accrescentem: fervor ingenii tamquam simplici significatione illius temporis, quo tam mirae res et inauditae accidant, sibi non satisfacere videtur. Dies Jehovae illucescit, ubi primum „Jehudaeae Hierosolymorumque" captivi, divino brachio auxiliante, in libertatem vindicati atque reduces facti sunt. V. 2. post captivorum reditum Hebraeos interque nationes infestas Jehova bellum conflabit: efficiam, inquit, ut omnes populi in vallem [campum] Jehoshaphat descendant. Haec vallis in V. T. non amplius commemoratur. Quidam parum recte opinabantur, eam vallem dici, quae עֵמֶק בְּרָכָה (2 Chr. 20, 26) appellatur: scilicet statuebant, hanc vallem nominibus gavisam esse duobus, quorum alterum ab Jehoshaphat rege, alterum ab eius benedictione duxisset, cf. p. VI. sqq. Plerique de valle quadam cogitabant, quae prope Hierosolyma esset. Constat quidem, partem superiorem illius vallis, quae Hierosolyma interque montem olivarum sita erat, posteriori certe tempore vallem Jehoshaphat appellatam esse; sed antiquitus haec vallis pars aut eodem, quo inferior, nomine „nachal Qidrôn" appellabatur aut — quod verosimilius est — peculiari nomine non gaudebat, utpote quae intra urbis confinia esset et ad dicionem civitatis hierosolymitanae pertineret [1]. Itaque quum Joelis aetate locus non esset, qui vallis Jehoshaphat appellaretur, non nomen loci cuiusdum proprium

1) Omnino vana est Kimchii aliorumque opinio, illam vallem a sepulcro Jehoshaphati regis ibi exstructo nomen suum duxisse; nimirum hic rex in Ssijon monte sepultus erat (cf. 2 Chr. 21, 1.). Judaei posteriores eam propterea Jehoshaphat vallem appellabant, quod opinabantur, extremum illud iudicium, quod post carnis resurrectionem ingrueret, a Deo ibi exercitum iri. Id vero opinabantur, quod in illa vallis parte coemeterium publicum erat, in quo ipsorum patres iam sepulti erant et in quo sese ipsos aliquando sepultum iri sciebant. — Extremum illud iudicium eodem, quo carnis resurrectio facta esset, loco exercitum iri, non poterat non videri admodum consentaneum. In nescio quo libro talmudico legimus, resurrectionis tempore vel corpora eorum Judaeorum, qui in locis peregrinis [ἐν τῇ διασπορᾷ] mortui et sepulti fuerint, sese infra terram ad illud solenne coemeterium provolutura esse, ita ut in Jehoshaphat valle a morte sua ad vitam revocari possint.

significaturus fuit, sed potius locum qualemcunque, in quo strages gentium hostilium fiet, nominé symbolico vallem „iudicii Jehovae“ appellat. Haud scio an propheta ea, quae 1 Mos. 14, 7 etc. et 4 Mos. 20, 13. 24 leguntur, respexerit et illius fontis עין משפט, qui antiquitus מי מריבה nominabatur, memor fuerit. נשפט cf. נדון et נוכח = in iudicio cum aliquo litigare, altercari. V. 3. sensus est: „non solum quod captivos sortitione inter se distribuerunt, sed etiam quod distributos aliis vendiderunt et quidem pretio vilissimo; puerum pro meretrice, puellam pro vini haustu“. גורל (جرل glarea) = lapillus, ψῆφος. בזונה Syr. ܒܐܓܪ ܙܢܝܬܐ mercede meretricis; item Chald. באגר זניתא; itemque versio arab., quam Pococ. Kius laudat: في جعل الزانية; minus recte LXX. ἔδωκαν τὰ παιδάρια πόρναις; Arab. واعطوا الصنيان للزواني, Vulg. et posuerunt puerum in prostibulo. Sensus est: hac conditione, ut meretricem reciperent, puerum tradiderunt; pr. ב cum verbis emendi, vendendi, commutandi coniungitur, cf. gr. § 217. f. item in ביין = puellam vino vendiderunt, et quidem tantillo vino, ut id uno haustu, uno spiritu epotarent. Est autem sermo de Edomitis Aegyptiisque (v. 19.), qui Shishaqo rege in Jehudaeam invaserunt, palatium regium atque templum thesauris spoliaverunt multosque captivos abduxerunt. Vss. 4—9. oratio ad Phoenices [Sidonios Tyriosque] et Philistaeos se convertit: nimirum hi Aegyptiorum exercitui sese adiunxisse videntur (2 Chr. 12, 2—5.); ipsa illa tempestate, qua Shishaqus Hierosolyma proficiscebatur, Philistaei certe animo in Jehudaeos admodum infenso erant nec non iteratae cladis, quam Saulo et Davide regibus acceperant, memores cupiditate ulciscendi flagrabant (1 Sam. 17. 2 Sam. 5, 17. 8, 1.). V. 4. וגם atque etiam. מה־אתם לי quid vobis mecum negotii est? τί ὑμεῖς ἐμοί; τί ἐμοὶ καὶ ὑμῖν; גלילות = quinque civitates, in quas dicio Philistaeorum divisa fuit (Jos. 13, 3.); cuique civitati princeps (סרן) praefuit. Jehova Philistaeos, Sidonios Tyriosque interrogat: „utrum ipsorum iniuriae quodammodo retributio damnorum ab Jehudaeis antea acceptorum sint, an eas sine ulla causa, solâ iniuriose agendi cupiditate permoti fecerint“; subiungit: se — sive hoc sive illud fuerit — illico

ex iis ultionem petiturum esse. ה־אם ūtrum — an. קל מ׳ = citissime, illico (Jes. 5, 26). מהרה gen. fem. abstractum, neutrum, adverbium significat, cf. gr. § 204. Vss. 5. 6. cur Jehova ultionem ab iis petiturus sit: non solum Aegyptiis, qui templum thesauris spoliabant, manus adiutrices suppeditarunt, sed etiam — quod pluris est — vasa sublata in suorum idolorum delubris collocarunt nec non Jehudaeos captos longinquis nationibus vendiderunt. Vs. 5. argentum meum etc. = thesaurus templi, donaria, vasa, simulacra 4 Mos. 31, 50 —fin. Jos. 6, 24. 1 Sam. 6, 4 sqq. היכל h. l. templum, LXX. *εἰς τοὺς ναοὺς ὑμῶν*; parum recte alii codd: *οἴκους*, *ϑησαυρούς*. בני י׳ = Jehudaei, Hierosolymitani; erant Israelitae סְגֻלַּת יהוה 2 Mos. 19, 5—7. הַיְּוָנִים (cf. ܝܘܢ, ܝܘܢܝܐ; يونان) *Ἴωνες* (a यवन) Graeci[1]). Vss. 7. 8. Jehova pronunciat, se Jehudaeos venditos in patriam reducturum atque cum eorum venditoribus ex iure talionis acturum esse. ביד וגו׳ in manum, potestatem Jehudaeorum, non — ut multi voluerunt — ope Jehudaeorum; recte Kimch. אמסרם בירם „tradam eos in manus Jehudaeorum". שׁבאים gens Arabiae felicis; ne confundas cum סְבָאִים, cf. Lexic. Interpp. LXX. *εἰς αἰχμαλωσίαν*; nimirum de verbo שׁבה cogitaverunt; hos Syr. ܠܫܒܝܐ et Ar. للسبي secuti sunt. Cod. arab., quem Pocockius laudat, مل اليمن. V. 9—14. oratio mordax, quam caduceatores Jehudaeorum ad nationes hostiles dirigere iubentur. Jehovae responsum, quod prophetae ipsius auxilium imploranti redditur. v. 9. קראו sc. vos Jehudaei vel potius caduceatores vestri. זאת i. e. Jehovam ultionis exigendae cupidum et paratum esse ad proelium. קדשׁו excitate, conflate bellum sanctum i. e. bellum contra Jehovam. העירו h. l. tr. expergefacite heroas; sequitur oratio, quam caduceatores ad nationes hostiles dirigant: v. 10. 11. כתו sc. vos nationes hostiles! (אִתִּים) את vomer, culter, dens aratri, cf. Cred. ad h. l. etiam Jes. 2, 4. Mich. 4, 3. עוּשׁוּ *ἅπαξ λεγ.* LXX. *συναϑροίζεσϑε*; huic verbo significatum „se congregandi, vindicari, illud ונקבצו vetare videtur; Vulg. erumpite; Hitzigius de verbo عاث (opem tulit) cogitavit; עוש forma obsoleta, poetica esse et idem fere atque חוש significare videatur; cf.

---

1) Cf. Karle Ibn Abdolhak. de hist. Aegypti antiqua pag. 39.

Pocock. adproperate. נקבצו alia forma pro הִקָּבְצוּ congregate vos; item Jes. 43, 9. cf. gr. § 226. 2. c.; sequuntur verba prophetae: הנחת Chald. יְתַבַּר Syr. ܢܬܒܪ Vulg. occumbere faciet; harum versionum auctores הִנְחַת [= חַנְחִית] legisse videntur; sensus esset: „ibi Jehova heroes tuos humum prosternet". Sed haec interpretatio duplicem ob causam improbanda est: α) particula שָׁמָּה non signif. „ibi", „eo loco", sed „eum in locum". Joel certe voculam „ibi" non nisi particula שָׁם exprimit, cf. v. 2 et 12 h. c. β) pro גבוריך necessario גבוריכם scribendum fuit; (reapse Syr. ܓܢܒܪ̈ܝܟܘܢ exhibet). Verbum נחת etiam significat „descendit"; certe in versione Syr. verbum ירד verbo ܢܚܬ redditur. נְהֲחַת = imprt. hiph. = fac, heroes tui descendant eum in locum sc. ad quem nationes hostiles se congregaverint. „Heroes Jehovae": haec opinio religiosa originem ab antiqua religionis semiticae indole repetit: scilicet religio, quae antiquissimo tempore Semitarum communis esse videbatur, in solis, lunae stellarumque veneratione posita fuit. Illi autem dii stellares nomine אלהים (ab הלל, هلّ splenduit, cf. הֵילֵל lucifer, אל deus. إِلٰهٌ, إِلَهَةٌ dea, luna corniculata, (أَلِيهَةٌ) significabantur. Ex quo autem Jehova pro uno et vero deo haberi coeptus erat, dii stellares suo numine magis minusve spoliabantur, ita ut temporis decursu Jehovae ministri, angeli, milites, exercitus coelestis [אֱלֹהֵי צְבָאוֹת] fierent. In Deborae carmine stellae laudantur, quae opem laturae de coelo descenderunt (Jud. 5. 20.). Ipse dux exercitus coelestis [שׂר־צבא־יי'] Josuae quondam apparuit (Jos. 5, 14). Admodum notabilis est locus, qui Job. 38, 6. legitur [1]). Cf. Jes. 24, 21. Jehova heroes suos ad bellum convocat (Jes. 13, 3); sunt exsecutores iussorum Jehovae (Ps. 103, 20). Quid autem l. n. Jehovae heroes, qui proeliaturi ad terram descendunt, proprio sensu esse videantur? Quavis veste dictionis poeticae detracta nihil aliud sunt nisi tempestates, fulgura, tonitrua, venti furibundi, grandines: in Oriente accidit, ut procellae necopinato

1) כוכבי בקר = בני אלהים. Haud scio an ipse hic locus in causa fuerit, quod Latinorum vox „lucifer" etiam diabolum principem denotat.

exortae ad disiciendos exercitus haud parum conferrent (Jos. 10, 11. Jes. 30, 30). Quid quod Jehova in illa tempora, quibus proelia exoriantur, grandines coacervat (Job. 38, 22—23). Itaque Jehova deus cogitabatur, qui cum heroibus suis i. e. cum tempestate etc. ultionem petiturus ad terram descenderet.

Interpp. LXX veriti, ne casca haec de Jehovae heroibus opinio Jehudaeos posteriores offenderet, genuinum textus hebraici sensum reddere non ausi sunt; — voce שַׁמָּה ad hemistichium anterius retractâ substituerunt verba haecce: *ὁ πραῢς ἔξω μαχητής*; haud alio modo haec mira eorum versio intelligi queat[1]. „In eum locum fac descendant tui Jehova! heroes“ = sunt verba prophetae, quibus tamquam precatione ad Jehovam directa sermonem caduceatorum interrumpit. V. 12. sunt verba Jehovae tamquam responsum, quod prophetae redditur: modo consurgant — inquit — modo ascendant etc. יֵעוֹרוּ (niph.) ad v. 9. respicit. יעלו Aegyptii, Edomitae etc. ad vallem, quae in Palaestina sita est, ascendunt, nimirum locum altiorem petunt; verbum ירד v. 2. = descendere in vallem ipsam, in vallis alveum. Voce שפט actiones ultrices significantur, quibus Jehova iniuriam vel sibi vel populo suo illatam ulciscitur. Huius ultionis divinae apud Ezech. 14, 21 genera quatuor enumerantur: 1) חֶרֶב 2) רָעָב 3) חיה רעה = animalia noxia: locustae; muscae כִּנָּם 2 Mos. 8, 12: עָרֹב *κυνόμυιαι* ibid. 8, 18. 4) דבר pestilentia 2 Mos. 9, 3. Ita etiam illa hominum animaliumque primogenitorum caedes שֶׁפֶט יְיָ vocatur 2 Mos. 12, 12. Huc etiam illa שפטים גדלים (2 Mos. 6, 6. 7, 4.) pertinent. Cf. 2 Mos. 5, 3. 9, 26. 4 Mos. 33, 4. 5 Mos. 9, 35—44. Ille dies, quo tale משפט יְיָ ingruit, יום יְיָ nominatur. Hae actiones ultrices ideo voce שפט significantur, quod iure talionis fiebant (cf. 2 Mos. 21, 23—26). Vox אֵשֵׁב de re iudiciaria sumpta. Cf. Matth. 25, 31. *ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, καὶ πάντες οἱ ἄγγελοι* [גברים] *αὐτοῦ, τότε καθίσει ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καὶ συναχθήσεται ἔμπροσθεν αὐτοῦ πάντα τὰ ἔθνη.* Vs. 13. Jehova iamiam heroas suos ad pugnam provocat: falcem supponite etc. messis et uvarum calcatura imagines

---

1) Cf. Karle in Oesterr. Vierteljahrschr. 1863. Tom. II. fasc. 2. p. 267. 273.

sunt, quibus hostium trucidatio depingitur [1]). Cf. Matth. 13, 39. ὁ δὲ θερισμὸς συντέλεια τοῦ αἰῶνός ἐςιν· οἱ δὲ θεριςαὶ ἄγγελοί εἰσιν. Apcl. 14, 15. . . . πέμψον τὸ δρέπανόν σου, καὶ θέρισον· ὅτι ἦλθέ σοι ἡ ὥρα τοῦ θερίσαι· ὅτι ἐξηράνθη ὁ θερισμὸς τῆς γῆς. ibid. 18. πέμψον σου τὸ δρέπανον τὸ ὀξύ, καὶ τρύγησον τοὺς βότρυας τῆς ἀμπέλου τῆς γῆς. etc . . . cf. דם ענבים = succus uvarum 1 Mos. 49, 11. 5 Mos. 32, 14 [2]). Joelis oratione figurata etiam prophetae posteriores uti solebant, ita tamen, ut eius partes numerosque explerent: eam picturam, quam propheta noster primis lineamentis adumbraverat, posteriores variis coloribus distinxerunt. cf. Jes. 63, 1—6. Apocl. 14, 20. καὶ ἐπατήθη ἡ ληνὸς ἔξω τῆς πόλεως, καὶ ἐξῆλθεν αἷμα ἐκ ληνοῦ ἄχρι τῶν χαλινῶν τῶν ἵππων, ἀπὸ ςαδίων χιλίων ἑξακοσίων. Jer. (25, 33) etiam eorum, qui ab Jehova necati fuerint [= חַלְלֵי יְהוָֹה], mentionem facit: „magnus, inquit, numerus horum erit, non sepelientur, sed tamquam sterquilinium supra terram iacebunt“. Ipsum hunc Jeremiae locum Apocalypticus respexit, qui ab Jehova necatos [חללי יהוה] τὸ δεῖπνον τὸ μέγα τοῦ θεοῦ significat nec non omnes omnis regionis volucres ad magnum carnis humanae convivium invitat (Apoc. 19, 17. 18.). מַגָּל (مِنْجَل) falx messoria, non — ut Hitzigius voluit — vinitoria [מַזְמֵרָה]; itemque קציר = messis, non vindemia (בציר). V. 14—17. Jehovae responsum spe adeo laeta prophetam implevit, ut res, quae futurae sunt, tamquam praesentes sibi videatur videre; haec autem res duplex eius visioni subministratur: a) multitudo exercituum hostilium in vallem Jehoshaphat congregata, b) tempestas Ssijon monte exsurgens. v. 14. המון tumultus. multitudo inordinata (cf. gr. § 313. a.) = exercitus hostiles. עמק החרוץ LXX. ἐν τῇ κοιλάδι τῆς δίκης. item arab. syr. chald. paraphr. מישר פלוג דינא Vulg. in valle concisionis [i. e.

1) Antiquissimo tempore falx ad arma bellica pertinuisse videtur; apud Aegyptios certe symbolica proelii et dominationis imago fuit, vide Danckeri hist. antiq. T. I. p. 35. cf. αἷμα δρέψασθαι Aesch. Sept. v. 718. Hinc factum esse probabile est, ut vox הידד (clamor vindemialis) etiam clamorem bellicum significaret. Jer. 25, 30. 48, 33. Jes. 16, 9. 10.

2) Cf. ar. دم الزرقاء = vinum.

in qua gentes hostiles concidantur, deleantur [1])]. At vero non est, cur voci חרוץ potestas nominis substantivi tribuatur: verbum חרץ de Jehovae punientis, ulciscentis decretis nec non de ipsa eius poena, ultione usurpatur (cf. Jes. 10, 22. 23. 28, 22. Dan. 9, 26. 27.); ut apud Jes. 10, 22. כִּלָּיוֹן חָרוּץ = exstinctio decreta, statuta, ita etiam l. n. חָרוּץ est participium pass. ע׳ החרוץ = vallis et quidem vallis [haec iteratio articulo ה denotari videatur] praestituta [sc. hostium exitio, stragi praestituta]. V. 15. 16. Tempestas: coelorum lumina exstinguuntur [sc. nubibus, quae se undique colligunt]; nox incubat, de Ssijon monte fulmina emittuntur, tonitrua coelum implent; contremiscunt coelum et terra. Verba ויהוה וגו׳ sunt enunciatio explicativa: „etenim Jehova est refugium etc.“ cf. gr. § 341. Inde vero, quod Jehova ex Ssijôn monte Hierosolymisque ad profligandos hostes proficiscitur, duplex quid — ut ait propheta — colligendum est: a) Jehovam revera esse Jehudaeorum numen tutelare: „est enim Jehova refugium populo suo, Israelitis praesidium“; b) (v. 17.) Jehovam in Ssijon monte et Hierosolymis praesentem esse ibique suum sibi domicilium atque stationem habere; „non iterum peregrini ea intrabunt“; respicitur illa Shisaqi regis irruptio et templi expilatio. V. 18. Jehovae praesentia in Ssijon monte Hierosolymisque eximiam ubertatem regioni circumiacenti largietur, ita ut Jehudaea tamquam עדן i. e. גן־יהוה exsistat (cf. Jes. 51, 3. 1 Mos. 13, 10). Antiqua illa de horto Edenitico narratio (1 Mos. 2.) prophetae obversata fuisse videtur: ut ex Jehovae horto rivus profluxit, qui paradisum irrigabat i. e. fertilem reddebat, ita ex Jehovae templo fons prorumpet, qui Jehudaeam fecundabit:

1 Mos. 2, 10. ונהר יצא מעדן להשקות את הגן
Joel. ומעין מבית יְיָ יצא והשקה את־נחל השטים

Jesaias 51, 3. versum n. respexisse videatur: „Jehova Ssijon montis miseret . . . eius vastitatem sicut Eden, eius loca deserta sicut hortum Jehovae faciet“. Cf. Am. 9, 13. Illam de templi fonte opinionem, quam Joel primus conceperat, alii

---

1) Ita Kimchi etiam vocem n. intelligit: כי שם יהיו הגוים הרוצים והחוכים R. Tanchum et Abulwalid: لكثرة الهلاك.

etiam prophetae adoptarunt, ita tamen ut adoptatam alius aliter formaret: Zach. 14, 8. „et futurum est illo die, ut aquae vivae [perennes] Hierosolymis exeant, earum pars dimidia in mare anterius [orientale, mortuum], pars altera in mare posterius [occidentale, mediterraneum]; istae aquae nec hiemis gelu constringentur, nec nimio aestatis fervore siccabuntur". Zach. 13, 1. huic fonti notio ethica subditur: „tempore illo erit fons apertus domui Davidis et incolis Hierosolymorum pro peccato et impuritate [i. e. ad abluendum peccatum et impuritatem.]". Auctor Psalmi 87. ab eadem opinione profectus versu 7 omnes fontes in Ssijon monte inclusos esse dicit. Fecunditatem et vim salutarem illius fontis imprimis Ezech. propheta celebravit: 47, 1—12. Ezechielem auctor Apoc. 22, 1 secutus est: *ἔδειξέ μοι καθαρὸν ποταμὸν ὕδατος ζωῆς, λαμπρὸν ὡς κρύςαλλον, ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου. Ἐν μέσῳ τῆς πλατείας αὐτῆς* [urbis Hieros.] *καὶ τοῦ ποταμοῦ* [ex solio Dei manantis] *ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν ξύλον ζωῆς, ποιοῦν καρποὺς δώδεκα, κατὰ μῆνα ἕνα ἕκαςον ἀποδιδοῦν τὸν καρπὸν αὑτοῦ. καὶ τὰ φύλλα τοῦ ξύλου εἰς θεράπειαν* [לתרופה Ezech. 47, 12.] *τῶν ἐθνῶν.* נחל השטים vallis acaciarum; haec vallis extra Jehudaeorum fines quaeri non debet, quandoquidem illa, quae sacro fonte efficitur, ubertas non nisi ad Jehudaeam pertinet. Jesaias, qui 51, 3 versum n. respexit, Joelis vallem acaciarum vocibus מִדְבָּר et עֲרָבָה significasse videtur; et profecto apud Amos. 6, 14. Qidrôn rivus נחל הערבה vocatur; de מִדְבַּר יְהוּדָה cf. Jos. 15, 61. Jud. 1, 16. idcirco vocabula נחל השטים et vallem Qidronis et loca humilia, quae ad Jordanem et mare mortuum sita sunt, significare videantur. V. 19. Shisaqus ab Edomitis adiutus esse videtur (cf. Prolgg. de Joelis aetate.). מחמס propter iniuriam Jehudaeis illatam: אשר . . . . בארצם = in quorum [sc. Jehudaeorum] terra sanguinem innocentem profuderint; iniuria etiam maior videtur, quod Jehudaei in sua ipsorum patria trucidati sunt. נקיא [quae forma minus usitata, quam נקי, etiam Jon. 1, 14 legitur] sanguinem insontem, quatenus Jehudaei nullam huius sceleris causam praebuerant. V. 20. Jehudaea et Hierosolyma in aeternum perstabunt: spes Messiana fuisse videtur, veros Jehovae cultores mortem non experturos esse. V. 21. וְנִקֵּיתִי דָּמָם לֹא־נִקֵּיתִי in hac loquendi

formula ludum verborum delitescere, commentatores non viderunt; verbum נִקָּה cum accusativo rei significat: *α*) aliquam rem puram reddere, insontem declarare; *β*) aliquam rem — ulciscendo — puram, insontem reddere, supplicio expiare, ulcisci (= נִקֵּם). Utro sensu unum alterumve נִקֵּיתִי accipi velit, facile intelligitur: si Jehova loquitur: נִקֵּיתִי דָמָם dicere vult = Jehudaeorum sanguinem [ultione ab interfectoribus expetenda] insontem reddam i. e. eorum sanguinem ulciscens supplicio expiabo; sin vero loquitur: לֹא־נִקֵּיתִי dicturus est: eorum sanguinem non insontem declarabo, non inultum sinam. Ita autem lepidus, quo Joel aures teretes demulcet, ludus verborum nascitur. Non aliter interpp. LXX. haec verba intellexerunt: *καὶ ἐκδικήσω τὸ αἷμα αὐτῶν καὶ οὐ μὴ ἀθῳώσω* [1]). Haud scio an Joelis formula ad proverbialem illam locutionem וְנַקֵּה לֹא יְנַקֶּה (4 Mos. 14, 18. 2 Mos. 34, 7. Nach. 1, 3. et Jerm. 30, 11. 46, 28. וְנַקֵּה לֹא אֲנַקֶּה) expressa sit. Verba denique ויהוה וגו׳ manifesto volunt pro iureiurando haberi (cf. Am. 9, 5. Hos. 12, 6 etc.); sensus est: ita Jehova habitans sit in Ssijone = per Jehovam in Ssijone habitantem. Hebraeorum ו eadem fere vi usurpatur, qua Arabum particula وَ cum genitivo v. c. وَاللّٰهِ = per deum, وَرَبِّكَ = per dominum tuum.

1) Pro *ἐκδικήσω* etiam lectio *ἐκζητήσω* exstat, quam Tischendorfius textu recepit. LXX intrpp. *ἐκδικήσω* scripsisse, iam inde colligere liceat, quod illud דם־נקיא v 19. *αἷμα δίκαιον* reddiderunt; nimirum vocabula ונקיתי דמם vocabulis דם־נקיא alludere, probe intellexerant. Sed hac de re cf. Karle Commtt. critt. pag. 22 etc.

Animadversiones criticae.

CAP. I.

Vers. 5. עַל־עָסִיס LXX. *εἰς μέθην*, ar. للسكر. Voce עסיס succum sive uvae sive aliarum frugum recens expressum et adhuc dulcem denotari, non ignorant LXX, qui vocabulo *γλυκασμοῦ* IV, 18. Am. 9, 13. eam reddiderunt, cf. Cant. cantt. 8, 2. Cur l. n. illud vocabulum aliter reddant, inde causa repetenda est, quod pro עסיס aliam vocem viderunt. Quoniam in libro manu scripto litera ס, si lineola, quae sinistrorsum currendo circulum colligit, parum exarata est, aut exarata palluit, literarum כ et ר speciem induit nec non — quod ad praepositionem על attinet — quoniam ex litera ל, si apicem corneum dempseris, facile ד exstitit, pro על־עסיס LXX. intrpp. עַד־שִׁכּוֹר legisse videntur, cf. 1 Reg. 16, 9. 20, 16. 1 Mos. 43, 34.

Vers. 7. חָשֹׂף חֲשָׂפָהּ decorticando decorticavit eam [ficum] LXX. *ἐρευνῶν ἐξηρεύνησεν αὐτήν*, ar. فتشت تفتيشا Verbum חָשַׂף significatum duplicem exhibet: *α*) aliquid detegendo, revelando denudare; de arbore = foliis eam spoliare, eam decorticare cf. Ps. 29, 9. Hunc huicque similem significatum LXX verbo *ἀποκαλύπτειν* reddere solent. cf. Jes. 52, 10. 20, 4. De rebus liquidis usitatum hoc verbum significat *β*) aliquid deplendo, capulando detegere et ipsum deplere, haurire; de aqua Jes. 30, 14. de musto Hagg. 2, 16.

Hunc significatum et ipsi LXX probe norunt, qui loco priori verbum ἀποσύρειν [1]), posteriori ἐξαντλῆσαι adhibent. Hinc intelligitur verbi חָשַׂף et veram et plenam significationem LXX interpretibus cognitam fuisse. Quod autem l. n. illud חָשַׂף vocabulo ἐρευνᾶν ab iis redditum est, id docti quidam homines inde factum arbitrantur, quod interpretes graeci pro חָשַׂף — literis transpositis — חָפַשׂ legissent; id enim in Qal et Piel quaerendi notionem habet et a LXX vocabulo ἐρευνᾶν redditur cf. Prov. 2, 4. 20, 27. 1 Sam. 23, 23. Abs me impetrare non possum, ut credam, talem literarum transpositionem l. n. fieri potuisse: non negarim quidem, fieri posse, ut literae שׂ et פ male scriptae altera pro altera habeantur, at id non verisimile est, in ipsa ea sede, in qua שׂ legi debebat, literam פ lectitatam esse et in ipsa ea sede, in qua פ legi debebat, literam שׂ lectam esse, et quidem eo minus id l. n. fieri potuit, quod vox חשׂף bis legitur altera iuxta alteram posita. Omnino tales literarum transpositiones in vocabulorum pronunciatione, auditione, scriptione fieri possunt, non item in lectione. LXX. intrpp. utique חשׂף legerunt, verumtamen, quoniam verbi חשׂף significatio iis l. n. parum apta videbatur, et quoniam verbum חָשַׂף inter pronunciandum cum verbo חִפֵּשׂ commutatum saepius audiebatur, verbo חשׂף verbi חפשׂ significationem adiudicarunt. Etiam Pocockius non audiendus est, qui verbo חָשַׂף eandem fere, quam חִפֵּשׂ habet, significationem propterea vindicare vult, quod ex notione „nudandi“ notio „quaerendi“, „scrutandi“ facile nasci possit. In textu hebraico — ut iterata voce dicam — l. n. neque חפשׂ lectum est neque quis credere debeat, verbum חָשַׂף etiam quaerendi notionem admittere; LXX. ob nullam aliam causam h. l. ἐρευνᾶν verterunt, quam quod verbo חָשַׂף verbi חִפֵּשׂ notionem utpote magis idoneam adiudicaverant.

---

1) Pro ἀποσυριεῖς (Jes. 30, 14.) ἀποσυρεῖς legendum est. Verbum ἀποσυρίζειν quid illo loco sibi velit, intelligi non possit.

Vers. 10. אֻמְלַל flaccuit: de oleo; de ficu v. 12. LXX. ὠλιγώθη. Jes. 24, 7. °πενθήσει item 16, 8. apud Nahum 1, 4. in eodem versu diverse redditur: ὠλιγώθη et ἐξέλιπε. Ps. 6, 3. ἀσθενής. Jes. 19, 8. πενθέω Jes. 14, 2. αἱ πύλαι ἐκενώθησαν. Thren. 2, 8. ἠσθένησε.

Vers. 11. כֹּרְמִים vinitores LXX. κτήματα. Graeci interpp., qui illam vocem Jes. 61, 5. ἀμπελουργοί egregie verterunt, l. n. — ut iam Pocockius viderat — numerum pluralem nominis subst. כֶּרֶם legerunt, cf. Prov. 31, 16 et Hos. 2, 15.

Vers. 14. Vocem ἐκτενῶς interpres graecus pro suo arbitrio videtur eum ad finem adiecisse, ut verbi זעק notionem amplificaret; hebraice ἐκτενῶς esset = בְּחָזְקָה cf. 1 Sam. 2, 16. Jud. 8, 1. etc. Simile arbitrium in vocabulorum εὐφροσύνη καὶ χαρά adiectione vers. 5. cernitur.

Vers. 15. Quod particula exclamativa οἴμοι tertium iteratur, ad solam interpretis libidinem revocare noluerim: אֲהָהּ interiectionem אָהּ duplicatum esse [cf. Jud. 6, 22. 11, 35 = Ἆ ἆ] probe norat, eam autem ideo triplicem reddidit, quod ore rotundiore i. e. graece loqui volebat,

Vers. 17. עָבְשׁוּ פרדות תחת מגרפתיהם sensus est: „exaruerunt grana [sc. frumenti] sub glebis suis“. Qui ab hocce vocabulorum intellectu ad versiones veteres se convertit, has non solum a textu hebraico, sed etiam inter se ipsas alteram ab altera quam maxime dissentientes reperiet:

I Versio LXX. interpp. ἐσκίρτησαν δαμάλεις ἐπὶ ταῖς φάτναις αὐτῶν.

II. — syriaca: Famelicae fuerunt iuvencae super praesepibus suis.

III. — chald.: dilapsa sunt [vini] dolia sub operculis suis.

IV. — vulgata: Computruerunt iumenta in stercore suo.

Qui in tali rerum dissensione in dissensionis originem inquisiverit, is profecto non illi similis videbitur, qui nodum in scirpo quaerit. Illi autem,

qui h. l. nodum suo vindice dignum viderunt, eum non debebant hac oratione tamquam gladio dissecare, ut dicant, tales discrepantias non esse nisi meros veterum interpretum errores nec aliunde profectos quam ab eorum inscientia linguae hebraicae.

Unde diversitas illarum versionum nata sit, alio loco ostendi [1]. Sufficiat non nisi haec monere: discrepantiae, quales illae versiones exhibent, suam originem non potuerunt non ducere a libro manu scripto, qui vocabulorum hebraicorum scripturam — noluerim dicere — diversam, sed mancam, obliteratam lectuque difficilem exhibebat. Inde veterum versionum auctoribus necessitas enata est, ut in locum vocabulorum lectu difficilium novas et quadrantes voces ex suopte ingenio commentas substituerent. Lectiones autem subditiciae, quas auctores illarum versionum sequebantur, hae fuere:

I. Versio LXX: רָכְשׁוּ פָּרוֹת תַּחַת אֲבוּסֹתֵיהֶם
II. — syriaca.: רָעֲבוּ פָּרוֹת תַּחַת אֲבוּסֹתֵיהֶם
III. — chald.: נִמְסוּ [נָמַסּוּ] כַּדּוֹת תַּחַת מְגוּפֹתֵיהֶם
IV. — vulg.: עָבְשׁוּ פָּרוֹת תַּחַת אַשְׁפֹּתֵיהֶם.

Vers. 18. „O quam suspirat pecus! quam perturbati sunt greges boûm . . . . vel greges ovium poenas luunt! LXX. *τί ἀποθήσομεν ἑαυτοῖς; ἔκλαυσαν βουκόλια βοῶν . . . . καὶ τὰ ποίμνια τῶν προβάτων ἠφανίσθησαν.* Pro בְּהֵמָה legerunt בָּהֵמָּה [= בָּהֶם]; vocem נֶאֶנְחָה [literâ א — ut saepius fit — cum מ immutatâ] legerunt נִמְנַח [a מָנַח cf. مَنَحَ]; pro נָבֹכוּ legerunt יִבְכּוּ; vocem נֶאְשָׁמוּ denique pro eadem habuerunt atque versu 17. vocem נָשַׁמּוּ [litera א abundante].

1) J. A. Karle in Oesterr. Vierteljahrschr. für kath. Theol. 1863. Tom. II. fasc. 2.

CAP. II.

Vers. 6. כָּל־פָּנִים קִבְּצוּ פָארוּר quaeque facies [prae terrore] ardorem contrahit. LXX. πᾶν πρόσωπον ὡς πρόσκαυμα χύτρας. Vocabula hebraica, quae eundem, quem voces graecae exhibent, significatum habeant et cum textus hebraici vocabulis inter legendum facile commutari possint, omnino non reperiuntur. Quod ad קבצו attinet, haud scio an quisquam, quum litera ק — exstincta perpendiculari lineola — cum כ, litera צ cum ש et ו cum ר facile confundantur, graecos intrpp. vocem כַּאֲשֶׁר legisse suspicatus fuerit. Tali autem suspicioni veteres versiones refragantur, ex quibus apparet, vocem קבצו in textu hebraico et fuisse et lectitatam esse, cf. apud Pocock. Vulg. „omnes facies redigentur in ollam". Versio arabica M.S., quam Pocockius laudat, pro קבצו exhibet قبضوا. Etiam inde, quod vocabula nostra apud Nah. 2, 10. (11.) iisdem verbis a LXX. reddita sunt, intelligitur, veri simile non esse, aliquam textus corruptionem aut legendi difficultatem in causa fuisse, cur versio graeca ab intellectu nostro aberraret.

Illa interpretum LXX vocabula — ut uno verbo dicam — hebraicorum non tam versio quam explicatio et sunt et haberi volunt; quum enim LXX. crederent, vocem פארור, quae alio loco non amplius legitur, idem significare atque פָּרוּר (χύτραν), textus hebraicus sensum valde obscurum non suppeditare non poterat; talem vero sensum eorum versio exprimere non decebat. Itaque operam dabant, ut eam obscuritatem, qua textus hebraicus ipsis laborare videbatur, sua vertendi ratione evitarent vel certe minuerent.

Versiones, quae quam minime a textus heb. vocabulis recedunt, sunt Vulg. „Omnes facies redigentur in ollam". Arab. M. S. apud Pocock.

قبضوا سخام الطاجن[1]. Alii, quibus literalis versio offendiculo erat, vertunt: „omnes facies fient sicut ollae“ cf. Pocock. A versione LXX. versiones et arab. et syr. pendent:

Vers. arab. كل وجه كسخام القدر.

— syr. ܘܟܠ ܐܦܐ ܡܐܟܡܢ ܐܝܟ ܚܡܣܪܐ[2] ܕܩܕܪܐ.

Quod ad vocem פָּארוּר attinet, ea non nisi l. n legitur, — Nahumus Joelem imitatus est — propheta eam suopte ingenio formasse videtur; hinc quoque, ut ex multis, quas in Commentario attuli, rebus Joelis ingeniosa et sollers loquendi facultas elucet.

Vers. 8. ואיש .... ילכון LXX.: *καὶ ἕκαςος ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ οὐκ ἀφέξεται· καταβαρυνόμενοι ἐν τοῖς ὅπλοις αὐτῶν πορεύσονται.* Quod ad priorem hemistichii partem attinet, versionis intrpp. LXX originem inde natam esse intelligimus, quod pro ידחקון — litera ד cum ר immutata — ירחקון legerunt; quam eandem vertendi rationem Arabs secutus falsior etiam وكل واحد من اخيه لا يهرب reddidit. Quod vero ad verba גבר במסלתו ילכון attinet, ea praeter omnium exspectationem *καταβαρυνόμεοι ἐν τοῖς ὅπλοις αὐτῶν πορεύσονται* reddita invenimus. Inde a Pocockii tempore ad hunc diem nemo unus — quod sciam — anquisivit, quid et quale id fuerit, quod illos LXX ad hanc miram vertendi rationem seducere potuerit: scilicet talem quaestionem, cuius solvendae omnis spes abiecta erat, intactam relinquere satius videbatur. Cappellus fuit, qui causam et originem indicabat, cur et unde illud *καταβαρυνόμενοι* natum esset; intrpp. LXX. pro גבר — duabus literis pauxillum immutatis — כבד legerunt; quod vero ad

1) Sic enim vel طَيْجن pro طنجير, quod apud Pocock. legitur, scribendum est.

2) In eschatologia islamitica eorum, qui die resurrectionis ab Allah damnantur, facies nigritudine obductae commemorantur. Haec opinio ab illo praepostero versus Joelici intellectu, quem versiones alexandrina, syriaca etc. expresserant, originem duxisse videtur. Qor. Sur. 39, 61.

vocabula *ἐν τοῖς ὅπλοις* attinet, eorum originem nullus dum commentator detexit; etenim inde suam originem ea duxisse, quod LXX — ut Pocockius autumat — pro מסלתו legissent משלחתו, id nemini pluribus de causis non improbari debebat. Pro certo habemus intrpp. LXX ob nullam aliam causam textus hebraici vocabula *ἐν ὅπλοις* reddidisse, quam quod pro מסלתו aliam vocem huic consimilem et *ὅπλα* significantem legerunt. Quod ad similitudinem, quam haec reperienda vox cum מסלתו communem habebat, attinet, ea non nisi literalis esse potest i. e. similitudo ad literarum figuras et ad singulos earum ductus pertinens; scilicet veteres versiones ad textus originalis „lectionem“ et non „auditionem“ factae sunt; hinc intelligitur, in hac voce quaerenda eos, qui vocem, quae sonum מסלה similem redderet, expiscatum ibant, viam omnino praeposteram instituisse. Equidem mihi videor eam vocem videre, quae — quod ad literarum numerum earumque figuras attinet — voci מסלה non dico similis, sed quae est ipsa eadem vox atque מסלה, si in libro manu scripto, quo LXX. utebantur, duo duarum literarum ductus parum exarati erant vel exarati palluerunt; fac attendas: si in מסלה voce litera ס lineolam circularem, quae a laeva sursum currendo circulum colligit, parum exaratam vel pallidam habebat, pro ס legebatur כ; nec non si in litera tertia ל apex corneus parum exaratus vel pallidus erat, pro ל exstiterat ר; quo facto pro מסלה codex manu scriptus vocem מכרה exhibebat; haec autem vox מְכֵרָה gladium vel arma significans 1 Mos. 49, 5. legitur. Itaque LXX. במכרתו, quam lectionem ipsorum textus hebraeus suppeditare videbatur, *ἐν ὅπλοις αὐτῶν* reddiderunt.

Vers. 20. Pro *βρῶμος αὐτοῦ* lege *βρόμος αὐτοῦ*; versio ar., quae LXX. intrpp. ad verbum sequitur, ايكته exhibet.

CAP. IV.

Vers. 11. שָׁמָּה וגו׳ LXX. *ὁ πραῢς ἔσω μαχητής*. H. l. verecundia quaedam LXX intrpp. vetabat genuinum textus hebraici sensum reddere; nimirum casca illa Hebraeorum opinio de Jehova, qui cum heroibus suis i. e. fulmine, tonitru, grandine etc. ad hostes profligandos non aliter atque Mars Ultor de coelo descendit, iis scrupulum iniecisse videtur. Hac de re vide quae in Oesterr. Vierteljahrschr. l. l. exposui.

Corrigenda.

Pag. 3 col. 1 leg. שִׁלְחוֹ — 9 infra: ordo verborum ex 2 Chr. 15, 8 allatorum praeposterus est — 21 infra: leg. זָקֵן . . شَيْخ — 23 med. leg. تلع (eminere) — 27 verba Tanchumi a typotheta pesturbata sunt; arabicae linguae periti facile duplex يجوز ان يكون discernent — 28 lin. 16 leg. עֲצִי et in Syriacis quae sequuntur ܘܫܠܡ (h. e. desiit) et ܕܐܢܫܐ (hominis) — 33 lin. 4 leg. יהוה et infra يوم (dies Bedri h. e. proelii ibi commissi) — 34 lin. 15 leg. יָבוֹא — 35 infra leg. מִדְבָּר — 37 infra leg. הָרִיעוּ et in nota: الاعظم et الاكبر — 39 lin. 7 leg. כשחר et lin. 17 יוסף — Ibid. quattuor vocum syriacarum mediae in unam conglutinandae sunt (*meshtauzab* h. e. salvatus) — Ibid. infra leg. נהיה et in nota كلّه ceteris vocabulis anteire debet — 40 leg. רקד — 42 lin. 7 leg. שִׁבֵר, paullo inferius תשוקה. — Ibid. Arabica hic transponenda et legenda sunt: ياخذون المدينة (h. e. capiunt urbem) et Syriaca: ܠܡܕܝܢܬܐ ܡܣܩܝܢ (h. e. in urbem adscendunt) — 44 infr. leg. ולכלתם — 46 infra leg. מזבח — 47 lin. 1 leg. אוּלָם; in nota deest Kesr sub *avila* — 51 lin. 7 leg. יְרֵחַ — 56 lin. 8 leg. אשפוך — 58 leg. יליד, בֶּן־בֵּיתִי, שִׁפְחָה — 59 med. leg. עמוד — 61 lin. 1 leg. separatim כי הנה — 62 lin. 12 tetro errore Pococ. Kius pro „Pocockius“ typis scriptum est — Ibid. in Arabicis الصبيان legi oportet — 63 lin. 13 Syriaca turpiter deformata sunt; legi debet ܝܘܢ, ܝܘܢܐ; etiam sanscritum *Javana* male scriptum est — Ibid. med. leg. בידם — 64 lin. 9 leg. גבוריך, in vocabulo syriaco quod respondet litera cui linea occultans subjecta est Nun esse debet ibidemque lin. 12 הַנְּחַת legendum est. — Ibid. nomina Deae arabica legas *ilahah*, *ilâhah* et *alîhah* (sic ipsius auctoris manus). Paginas quae sequuntur emendatiores repperies. Casu improspero evenit, ut quattuor plagulae priores sero semiticarum linguarum gnaro proponerentur. Ceterum noli oblivisci, libello typis exscribendo ipsius auctoris etiam in minutis rebus attentissimi curam defuisse.

Lipsiae, Impr. Hundertstund & Pries.